

B. Nr. II, 127

(X 18803/19)

34

h. 91, 17.

DISSERTATIO JURIDICA

DE

FORO SECU-
LARI ET ECCLESIASTICO

In Imperio Romano-Germanico

competente

Quam

DIVINO AUXILIANTE NUMINE

Ex Decreto atq; Autoritate

MAGNIFICI ET AMPLISSIMI

LECTORUM ORDINIS

in Illustri Academia Jenensi

PRÆSIDE

V I R O

Nobilissimo ac Consultissimo

DN. GEORG-ADAMO Struben /

J. U. D. Consiliario Saxonico, Pandect. P. P. Facultatis

Juridicæ p. t. Decano, & Dicasterii Provincialis ac Sca-

binatus Assessore.

Pro LICENTIA IN UTROQUE JURE summos honores & privi-
legia ritè legitimèq; consequendi

Publicæ eruditorum disquisitioni subjecit

DANIEL LÜDERS HILDESIENSIS.

Ad diem 26 Januarii.

J E N Æ,

Typis LOBENSTEINIANIS,

ANNO MDC LI,

De Foro Seculari et Ecclesiastico Vol. V. 26.



4
VIRI S
Generosus & maxime Strenuus

DN. PAUL-JOACHIMO à BULOW.
Serenissimi Ducis Brunsvico-Luneburgensis GE-
ORG-WILHELM I Consiliario intimo, ejusq; Came-
ræ Præsidi, Hereditario in Scharffestorff etc.

DN. GODSCHALKO à BUCHWALD
Equiti Holsato, Hereditario in Bierßbeecke / Ste-
gen etc.


NEC NON

VIRO

Amplissimo & Consultissimo

DN. JUST-HENNINGO STORRE
J. U. C. Consuli Reip. Hildesienfi primario.

*Dominis, Patronis & Fautorib. suis summa obser-
vantia perpetim colendis, cognato & affini suo eta-
tem honorando.*



Hanc suam dissertationem

offert & dedicat

Daniel Lüders.





CUM DEO
DE FORO SECLARI ET
ECCLESIASTICO.

Thesis I.



DEUS ter Optimus Maximus, Creator & Gubernator omnium rerum, ne res creatæ in suo genere interirent, rebus singulis facultatem se conservandi, & sibi contrariis resistendi indidit. Hanc facultatem, ut homines omnium animantium facile principes, tantò felicitiùs exequi possent, illis superaddidit instinctum ad vivendum in societate civili, in quâ adunati sibi invicem prodesse & facilius plures, quam singuli ad sui conservationem necessaria obtinere tutiusq; à belluarum & hostium insultibus degere valerent. Ut autem homo, si omnibus suis partibus bonus sit, omnium animantium optimus est, sic cum à lege & justitia naturali discesserit, nulla ferarum fraus, nulla belluarum ferocia est tanta, quæ posset cum ejus malitia contendere; est enim quasi ab ipsâ naturâ armis prudentiæ instructus, quibus si abutatur, nihil eo potest esse sceleratius, nihil nocentiùs, ut ea de re eleganter differit Aristoteles *1. polit. 2.* Hinc cum quilibet magis pronus ad malum quam ad bonum sit, & effreni appetitui morem gerere malit, quam rectam rationem ducem sequi, nulla civilis societas conservari posset, nisi esset aliqua summa potestas, quæ multitudinem illam rectæ rationis moderamine in officio contineret. Cum verò homines civili beatitudine fruituri non possent in universum omnes unius imperio rectè gubernari, in diversas respublicas sunt digesti, ut singulæ summa aliqua potestate regerentur, atque ita totum conservaretur in suis partibus.

II. Summa hæc potestas, quæ majestatis vocabulo nuncupari

cupari solet, nihil aliud est, quam cujus actus alterius juri non subsunt, ita ut alterius voluntatis, humanæ arbitrio irriti possint reddi. *H. Grot. d. jur. n. pul. & bell. l. 1. c. 3. n. 7.* & sita est in rep. cum tuenda, tum regenda. Quantum illam gubernandam attinet, in duobus hæc summa potestas maximè conspicua est, in condendis legibus & instituendis judiciis. Leges feruntur, ut cives, quid faciendum, quid omittendum sit, exploratum habeant, & quid cuiq; debeat, scire possint. Cum autem, ex latis legibus multa debeantur DEO, multa ipsi reip., multa ipsis concivibus, quæ pro personarum & rerum varietate prope sunt infinita, & in his tribuendis debitis quidam ostendere suam ignorantiam, quidam suam improbitatem & malitiam, soleant, judicia instituta sunt, ut litigantibus, secundum leges latis auctoritate publicâ, jus redderetur & reluctantes & male feriati etiam inviti legum imperata facere cogerentur.

III. Atque ita judicia instituta sunt propter justitiæ administrationem, quæ jurisdictio nominari solet & nihil aliud est quam coactiva potestas constitutum jus singulis reddendi. Ut autem Legislatio illi, qui summam in rep. habet potestatem, propriè competit, sic & jurisdictio ejus est propria; utraq; enim tam arcto nexu eohæret, ut in summo gradu altera sine altera esse non possit. Unde in rep. Rom. Augustus Imp. *ipse jus assidue dixit, & in multam noctem, nonnunquam, si parum corpore valeret, lectica pro tribunali collocatâ, vel etiam domi cubans.* *Suet. in August. c. 33.* Imperatores alios complures de civium causis pro tribunali jus dixisse tum ex Historicis Romanis, tum ex libris juris nostri manifestum est. Verum cum negotiorum judicialium magna sit varietas, ut apud Principem reip. ea omnia peragi sit impossibile, Magistratus sunt constituti, quibus per participationem communicata illa jurisdicendi potestas est, quam ergo illi non proprio sed vicario titulo exercent, summâ illâ jurisdictione remanente apud principem Reip. Ex quo fit, ut si magistratus illi in causis decidendis iniquam tulerint sententiam, ab illis gradatim ad principem regulariter appellari possit. *l. 21. d. app. N. 17. §. 3. in f. N. 23. c. 3. ibiq; Cujac. Ord. Cam. p. 2. l. 29.*

IV. Ne autem in tanta magistratuum diversitate rerum agenda-

sgendarum fieret confusio, cuilibet magistratui seu judici certis cancellis circumscripta jurisdictio assignata est, ut tam ipse iudex, quam litigantes scire possent, qualis & quanta jurisdictio cuiq; competat, & quousq; ejus exercitium pertingat. Quilibet igitur iudex (tam late vox iudicis etiam in jure nostro sumitur ut & magistratum denotet. *rubr. C. d. jurisd. com. jud. l. 5. d. re jud. l. pen. d. jud. solv.*) tribus quasi terminis suam jurisdictionem limitatam habet, loco, causis, & personis, quos si transgressus fuerit pro privato habetur *l. 1. π. d. off. prasid. l. 1. & 2. d. off. procons. unde illi impune non paretur l. f. π. d. jud. & si quam forte protulerit sententiam illa prorsus nulla est l. quidam. π. d. re jud.*

V. Omnis autē jurisdictio sic est magistratibus concessa, ut tantum in suo territorio eam exercere possint, cum nemo ad eam rem sufficere possit locis omnib. quod si extra illud jus dicat, impune illis non paretur. *l. f. π. d. jurisd.* Sic, licet maxima iudicandi autoritas Romæ fuerit penes Prætores, extra urbem tamen erat privatus. In provinciis superior potestas juris reddendi erat penes Proconsules & Præsides, sed extra Provinciam privati erant. Eadem ratio in magistratibus inferioribus ut si extra territorium jus dicant, impune illis non pareatur. *d. l. f. d. jud. Donell. comm. l. 17. c. ix.* Quod autem & quantum territorium cuiq; magistratui attributum sit, ex uniuscujusq; constitutione intelligitur.

VI. Ut Magistratūs seu iudices in suo duntaxat territorio jus dicunt, ita ut plurimum certis causis dijudicandis præficiuntur, ut nec in suo territorio de omnibus iudicare possint. Quidam tantum præsentant causis criminalibus, quidam pecuniariis seu civilibus, alii fideicommissariis, alii fiscalibus *et. c. d. off. civ. jud. & et. ubi causa fisc. & ibi Vult.* quo respicit JCrus dicens: *si quis supra suam jurisdictionem jus dixerit, illi non paretur impune d. l. f. d. jurisd.* Sic hodie quidam feudalibus tantum sunt præfecti, alii causis Ecclesiasticis tantum, ut in progressu videbimus. Fieri tamen potest, ut & unus idemq; magistratus de omnib. causis iudicandi potestatem habeat, quod indicabit uniuscujusq; constitutio.

VII. Nec in omnibus personis, quæ in territorio repræsentantur

untur magistratus suam jurisdictionem exercere potest : quid autem in his servandum sit, id non tam ex judicis constitutione quam ex jure constituto discendum est, alia enim personæ ratione domicilii, alia ratione rei sitæ, alia ob aliam rationem judicenti parere tenentur, quæ omnia ex sequentibus rectius intelligentur.

VIII. Quemadmodum judex suam jurisdictionem metitur ex loco, causis & personis, ita etiam litigaturi ex iisdem illis tribus suum forum, ubi agere & conveniri possint, æstiment. Cum enim inter judicem & litigantes sit quædam relatio, cujus fundamentum jurisdictio est, litigaturi alibi agere vel conveniri non poterunt, quam apud judicem competentem. Et notant Dd. tam judicem, quam litigantes forum habere, nimirum illum activè, hunc passivè. *Vult. ad l. 2. C. d. jurisd.* Propterea qui noverit, quod territorium quisq; judex habeat, quæ causæ ejus jurisdictioni adsignatæ, & in quas personas illi sit jurisdictio, & ita quis competens judex sit, simul quoq; forum competens, ubi quis agere & conveniri debeat, rectè cognoscet.

IX. Actori hac in re accurata & diligens adhibenda est circumspectio, antequam judicem adeat, ne protinus in ipso limine & ut dicitur, in ipso portu naufragium faciat. Utcumque enim merita causæ quàm luculentissime allegaverit, & judex exinde satis superq; instructus sua sententiâ controversiam definiverit, nisi tamen competenti foro fuerit subnixus, omnia acta & actitata pro nihilo habebuntur *t. t. c. si non comp. jud. Vant. d. Null. process. sub t. d. ord. & mod. vid. process. n. 2. Zas. ad l. per errorem n. 20. π. d. jurisd.* Et licet in Camera Imp. nullitates processus, si aliàs de meritis causæ ex actis sufficienter & liquido constet, regulariter non attendantur, *Ord. Cam. p. 3. t. 34. & 1. Gail. 1. obs. 42.* cum in ea magis de æquitate quam rigore juris judicari soleat. *Gail. d. l.* tamen si nullitates ex defectu jurisdictionis & fori competentis procedant, semper exactissime habetur earum ratio, non solum in decidendis causis, verùm etiam in decernendis processibus. *Gail. d. l. Myns. 5. obs. 93.* Quoniam itaq; nullus major judicii defectus esse potest, quam qui est fori competentis, adeo ut defectus ille habeatur insanabilis *Vult. ad l. ult. c. d. jurisd.*

jurisd. non absq; causa forum competens dici potest basis & lapis angularis totius judicii, quo sublato, cætera quæ sunt superstructa, corruere necesse est. Cum itaq; materia de competentia fori scitu dignissima imò necessaria sit, animus est eam certis thesibus includere, & eas publicæ eruditorum disquisitioni, loco nostræ inauguralis disputationis, subjicere, quod DEUS benè vertat.

X. Fori Vocabulum licet multas habeat significationes, quas recenset Socin. *ad t. x. d. for. comp. in rubr. & Rosin. d. antiq. Rom. l. 9. c. 7.* tamen in juris nostri libris non nisi bifariam sumitur. I. pro loco publico sub dio, ubi res vendendæ exponuntur *l. 7. § 2. depos. l. f. d. curat. honor.* II. pro loco ubi litigantibus jus redditur auctoritate publica. *rubric. C. d. jurid. om. jud. & for. comp. l. f. C. eod. l. 9. § 4. d. pæn. & passim alibi.* Ut autem prior significatio in jure nostro admodum raro occurrit, ita ab instituto nostro prorsus aliena est, sed altera, cujus usus in jure est frequentissimus, nobis rem, quam tractamus, denotat. Cum autem olim apud Romanos omnia fora tam judiciaria, quam negotiatoria essent loca amplissima in urbe sub dio extructa ad civium conventus apta, non ineleganter quidam dicunt forum dici à *foràs* quod sc. *foràs* id est sub dio sit. Onuphrius Panvin. *de reg. Urb. Rom.* novendecim fora Urbis Romæ, quæ omnia erant sub dio, recenset. Inter hæc quinque tantum judiciaria, cætera negotiatoria erant. Primum & vetustissimum judicarium erat, *Forum Latinum* seu *Romanum*, à Romulo extructum, quod & simpliciter *Forum* dicebatur, *Rosin. d. c. 7.* in quo tamen non tantum judicia celebrata sunt, sed & res venales ibi ab initio vendebantur, ut ex Livio l. i. constat. In solo hoc foro Romæ judicia agitabantur, donec Julius Cæsar aliud constituit, cujus solum, ut hoc obiter addam, quanti conlliterit, Suetonius *in Cæsar.* significat his verbis: *Nullum largitionis aut officiorum genus publicè privatimq; omisit, forum de manubiis inchoavit cujus area supra sestertium millies constitit.* quæ summa secundum Budæi calculum, vicies quinquies centena millia coronatorum efficit. Tertium forum adjecit Oct. Augustus propter hominum, ut ait Sueton. *in Aug. judiciorumq; multitudinem, quæ videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere.* Atq; hæc sunt tria
illa

illa fora, de quo Martialis: *Causas, inquis, agam Cicerone disertius ipso, Atque erit in triplici par mihi nemo foro.*

XI. Quartū judicarium forum erat *Forum Nerva*, quod & *Transitorium* appellatum est, ut Suetonius in *Domitian.* & Lampridius in *Sever.* docent, non quod per illud ad tria priora fora transitus fieri posset, ut vult post Merlianum Rosinus d. c. 7. nam sic forum Cæsaris & Augusti & alia Urbis Romæ fora *Transitoria* dicerentur, cum inde in cætera etiam transitus pateret, quod ex eorum situatione satis apparet; Sed ita dictum est à templo *JANI* quadrilatero & quadrifariam pervio, quod illud forum habebat. Cum enim hujus quadrilateri templi quatuor essent patentes arcus, (quibus erat superestructum) qui, quod transeuntibus semper paterent, & nunquam clauderentur dicti, *transitiones* ab his *transitionibus* Romani illud forum *Transitorium* nominarunt. *Alex. Donat. d. Urb. Rom. l. 2. c. 23.* Tale templum & hodie Romæ conspicitur in veteri Boario foro, cui propterea etiam cognomen fuit *Transitorio*, teste Fulvio l. 3. d. *foro Boar.*

XII. Quintum Urbis Romæ forum judicarium fuit *forum Trajanum*, quod inter omnia Imperatorum opera maximè admirandum fuit. *Cum ad hoc forum*, ait Ammian. Marcellinus l. 16. *venisset Constantinus Imp. singularem sub omni cælo structuram, ut opinemur, etiam numinum assensione mirabilem, hærebat attonitus per giganteos contextus circumferens mentem, nec velatu effabiles, nec rursus mortalibus appetendos &c.* Omnia hæc fora Urbis Romæ sub dio erant, ut scriptores rerum Romanarum testantur, sicuti & fora negotiatoria, qualia erant Boarium, suburanum, cupedinarium &c. Et licet etiam in Basilicis (quarum XIX. Romæ fuisse testatur P. Victor in *libr. d. neg Urb.* sed Onuphrius d. l. XXI. recenset.) jura reddi consueverint, nihilominus quemlibet locum, ubi iudex jus dicebat, *forum* dixerunt *Jcti* Romani, & ita fori vocabulum in nostra significatione Jurisconsultorum q. proprium factum est. Cæteri enim cives Basilicas judicarias fora non nominabant, ut id Coras. *ad l. 2. d. Orig. jur.* ex epistolis Plinii ostendit.

XIII. Ex dictis liquido constat, quid nobis vocabulum *Fori* denotet. Competentia autem fori inter litigantes æstimatur

matum ex personâ Rei. Dicitur quidem & actor & Reus forum habere in l. 2. C. d. jurisdic. quoniam autem actor Reum persequitur, reus autem actorem quod fugit & invitus iudicium suscipit, ideo ordo iudicii postulat, ut actor sequatur forum Rei. d. l. 2. C. d. jurid. l. f. C. ubi in rem. Neque enim coram alio iudice, quam cui subiectus est, reus comparere invitus tenetur, nec ab alio, ut sententiæ pareat, cogi potest. l. 1. & 2. d. off. procons. l. 3. d. off. presid.

Forum itaque competens definimus litium exercendarum locum, ubi Reus conveniri potest & necessario se defendere tenetur.

XIV. Cum autem jurisdictio in summo suo gradu considerata non tantum circa res humanas, sed etiam circa divinas, quatenus civili societati deserviunt, occupata sit, cujus incuitu post Ulpianum Imperator noster jurisprudentiam definiit rerum humanarum atque divinarum scientiam quatenus scilicet de jure earum quaritur, melioris ordinis causa distincta fora & iudicia sunt instituta, in quibus res humanæ seu seculares, & res divinæ seu Ecclesiasticæ dijudicarentur. Ideoque ob diversam istarum rerum conditionem, Forum competens dividimus in FORUM COMPETENS SECULARE, ET ECCLESIASTICUM. ita ut seculare dicamus, in quo de rebus seu causis secularibus personæ seculares sunt conveniendæ: Ecclesiasticum autem in quo personæ Ecclesiasticæ conveniendæ sunt, & causæ Ecclesiasticæ etiam inter Laicos sunt peragendæ. FORUM SECULARE sortitur Reus vel jure communi vel jure singulari. JURE COMMUNI ex quinque causis 1. Domicilio 2. situatione rei petendæ, 3. delicto. 4. speciali subiectione. 5. continentia causæ.

XV. PRIMA forum sortiendi causa est DOMICILIUM. Domicilii autem vox nobis non denotat hic domum sive ædificium in solo extructum, neque etiam nudam habitationem, uti sumitur in l. 5. §. 2. de injur. l. 22. §. 2. ad L. Jul. d. adult. l. 1. §. 2. d. alencor. l. 4. §. 5. d. damn. infect. sed habitationem cum animo perpetuo commorandi conjunctam. l. 17. §. 5. l. 27. §. 1. ad municip. l. 2. 3. 4. C. d. incol. l. 190. d. V. S. quo sensu à domo distinguitur in

tur in *d. l. 5. §. 5. d. injur. l. 5. §. 7. ad municip.* aliquando tamen vox domo pro ejusmodi habitatione, quā hic domicilii voce denotari diximus, usurpatur, *l. 203. de V. S. l. 2. l. 4. d. judic.* Vulgo faciunt domicilium triplex; *domicilium commune, Originis & habitationis.* Jure autem nostro domicilii appellatione vix venit aliud, quā quod Dd. domicilium habitationis vocant, docendi tamen gratia ista distinctio retineri potest. *arg. l. pen. d. senat. junct. l. 23. eod.*

XVI. *Domicilium Commune* erat Romanis Urbs Roma, quam ob causam Modestinus eam communem patriam dicit *l. 33. ad municip. ad d. l. 17. d. stat. hom.* nam cum omnes Imperio Romano subiecti Urbis Romæ cives essent *d. l. 17.* omnes qui ibi reperiebantur, ibi conveniri poterant, nisi jus revocandi domum haberent. *l. 2. §. 4. & §. seq. l. 24. d. jud.* Par jus datum fuisse videtur urbi Constantinopoli, translata eò Imperii sede. *arg. §. si quis Episcopus & seqq. N. 123.* Verum postquam hodie Roma sedes Pontificia facta est, & caput imperii esse desit, hoc jus communis domicilii in desuetudinem abiit *Gail. 2. obs. 36. & ibi alleg.* Quamvis v. quidam, inter quos est M. Steph. *d. juris d. l. 1. c. 28. n. 21.* putent, etiam hodie quemlibet in aula Imperatoris repertum ibi conveniri posse, nisi jus domum revocandi habeat; id tamen non admittendum videtur propter *Ord. Cam. p. 2. t. 1. §.* Es soll auch/ubi expressè cautum est, ne omissis inferiorib. supremum tribunal adeatur *vid. Frid. Mind. d. process. extrab. l. 1. c. 16. n. 1.*

XVII. *Domicilium originis*, quod in jure nostro dicitur *origo, patria*, item *jus originis. l. 15. §. 3. l. 30. ad munic. l. 3. C. eod. l. 6. & seq. C. d. incol.* est secundum Ulpianum *Civitas ex qua pater originem ducit. l. 6. §. 1. ad munic.* hoc est in qua pater est civis originarius *l. 1. pr. d. t. junct. l. 3. C. d. Munic.* Quod si quis ex vico ortus sit, patriam intelligitur habere, cui reip. vicus ille respondet. *l. 30. eod. tit.* Quoniam autem hoc domicilium, quatenus à patre in filium derivatum, est immutabile *l. 4. l. 5. C. de munic.* filius adoptivus duplex domicilium originis habet, unum ratione patris naturalis *l. 15. §. jus originis. ad munic.* alterum ratione adoptivi *l. 1. pr. eod.* Cum enim adoptio imitetur

DAU.

naturam, fictione juris filius adoptivus ex patre adoptivo natus
censetur, ideoq; & ejus origo in illum jure derivatur & domici-
lium originis inde sortitur, quod tamen emancipatus rursus a-
mittit *l. 16. ad munic.*

XIIX. Æstimatur itaq; cujuscunq; patria seu domicilium
originis ex origine patris, nullo respectu habito ubi is, de cujus
patria quæritur, natus sit *l. 3. C. d. municip.* Unde Fridericus II.
Imper. etsi in Sicilia natus fuerit, rectè propter patrem Germa-
num originis ratione pro Germano habitus, & in Imperatorem
ab Electoribus electus est, qua de re eleganter Henn. Gœdd. *conf.*
1. rubr. an elig. poss. in Reg. Rom. qui non est nat. Germ. Sunt qui-
dem nonnulli, qui putant solam nativitatem, etiamsi aliquis a-
licubi fortuitò nasceretur, transeunte forte matre, vel alicubi
ad tempus commorante, originarium facere, quam sententiam
videtur amplecti Vultejus in *l. 2. d. jurisd. n. 16.* verum cum ista
opinio sit contra expressum textum in *l. 3. C. d. munic. add. l. 84.*
§. 10. d. legat. l. 1. de captiv. & postb. refutationem non meretur.
Hoc tamen indubitati juris, quod cum vulgò quæritur, patrem
habere non censeantur, eorum patria seu domicilium originis
æstimetur ex Origine materna, l. 1. in f. ad municip.

XI X. Hujus domicilii ratio jure civili non tantùm habe-
tur in muneribus civilibus, ut Dd. communiter volunt, sed et-
iam in sortitione fori; etiã si ibi non reperiatur reus. *per l. 29. ad*
munic. Magn. Dn. Franzk. in comment. ad t. w. d. judic. n. 24. So-
cin. ad rubr. X. b. t. n. 15. Verùm cum hodie ex generali consue-
tudine transferens ex loco originis domicilium habitationis a-
liorsum, civis & subditus loci originis esse desinat, cum quoad
munera & honores, tum quoad jurisdictionem. *Gail. 2. obs. 36.*
domicilium originis in fundanda fori competentia nihil hodiè
operabitur, adeo ut, etsi ibi deprehensus conveniatur, opposita
exceptione incompetentiæ forum originis declinare possit.
Coler. de process. execut. p. 2. c. 1. n. 21. Paurm. d. jurisdic. l. 2. c. 9.
n. 47. diss. Gail. d. l. & Zang. d. except. p. 2. c. 1. n. 74. Quod si
autem non constet de aliorum translato domicilio, quilibet
habere in loco originis domicilium habitationis præsumitur
Cyn. Zang. Gail. & Dd. comm. quodlibet enim præsumitur in eo.

dem statu, in quo semel fuit, persistere, nisi probetur mutatio
arg. l. 22. d. probat. Wesenb. in parat. v. eod. & ibi citat. Quapropter,
si reus in loco originis conveniatur & se mutasse domicilium,
asserat, id probare tenetur. *Mascard. d. probat. 1. concl. 534 Zang.*
d. except. p. 2. c. 1. n. 10.

XX. Domicilium habitationis, quod in jure nostro sim-
pliciter Domicilium dicitur *l. cives. C. d. incol. l. libertus §. sola*
domus. π. ad municip. est locus, ubi quis eo animo habitat, ut ibi
perpetuò permanere velit, nisi quid avocet; prout omnium opti-
mè definit Donell. *comm. 17. c. 12. arg. l. 7. C. d. incol.* Duo enim
conjunctim requiruntur, et intelligatur domicilium habitatio-
nis constitutum, actualis habitatio, & animus ibi constanter
permanendi; quorum alterutrum si desit, domicilium constitu-
tum dici non potest. *l. 17. §. 5. & §. 13. l. 20. l. 27. §. 2. ad munic. l. 5.*
§. 3. d. capt. & postlim. Si quis igitur ad tempus tantum in ali-
quem locum habitatum se contulerit, ibi domicilium constitu-
isse dicendus non est *d. l. 17. §. 5. & 13.*; qua ratione, qui negotia-
tionis vel studiorum vel aliam aliquam artem addiscendi causa,
alicubi commoratur, licet ibi domicilium conduxerit, intelligi
non potest ibi constituisse domicilium, quancumq; etiam tem-
porè ibi constiterit. *Coler. d. process. execut. p. 2. c. 1. n. 82. Zang.*
d. except. p. 2. c. 1. n. 63. Cothm. 2. conf. 63. sicuti enim sola posses-
sio domus absq; animo ibi perpetuò commorandi domicili-
um non facit *d. l. 17. §. sola domus.* ita nec ex solo lapsu temporis
contractum domicilium argui potest. *arg. l. 2. C. de incol.* nisi a-
liud aliquid accesserit, ex quo animus perpetuò ibi persistendi
colligi probabiliter possit. Unde qui necessitate officii alicubi
commorantur, veluti Legati, consilarii & officiales principum,
factores mercatorum &c. etiamsi decem vel plures annos ibi ha-
bitaverint, & maximam bonorum partem totamq; familiam se-
cum habuerint, neutiquam intelliguntur ibi domicilium con-
stituisse. *Conf. Cothman. 1. conf. 21. n. 96. Heig. p. 2. q. 25. n. 18.*
quamvis n. in dubio ex istis domicilii contrahendi animus præ-
sumi soleat, ut infra dicetur, attamen quando contrarius ani-
mus apparet, conjecturis & præsumptionibus locus esse nequit.
Coler. d. l. n. 40. Socin. ad c. f. X. d. fer. comp. n. 26. Hinc est quod
Nobi-

Nobiles, qui in urbes & oppida se habitatum contulerunt, absq;
animo domicilium contrahendi ibi habitare credantur, cum
quietis saltem causa, vel ad tempus ibi commorari & forensium
loco ibi esse malle videantur, quam incolatam & domicilium i-
bi contrahere voluisse *Coibm. 2. cons. 73. n. 16. Mavivus ad jus Lu-
bec. l. 1. art. 2. n. 20.*

XXI. Habitatione quod attinet, de illa facile constare potest, sed
animus perpetuo habitandi cum sit res interior & sensibus minus ex-
posita, nisi declaratur actibus externis innotescere nequit. Declara-
tur a. vel expresse vel tacite. Expresse ista declaratio fit vel verbis
vel factis minus dubiis. Verbis, si quis expresse dixerit, se ibi domi-
cilium constituere velle; necesse tamen est ut isti expressae decla-
rationi accedat actualis habitatio, cum aliud sit domicilium constitu-
isse, aliud constituere velle *l. 20. l. 27. §. 2. in fin. ad municip. arg. l. 12. C.
si quis pot. in pig. & ib. consr.* Tacite iste animus, quem diximus,
declaratur, quoties quid factum fuerit, ex quo ille praesumptive
colligi potest. In jure nostro ejusmodi animus praesumitur I.
si quis aliquo in loco facit ea, quae facere solent istius loci cives
vel incolae, puta si ibi semper versetur, emat, vendat, festos dies
celebret, communi foro (sc. negotatorio) & omnibus commo-
dis istius loci perfruatur, ut est descriptio Papiniani in *l. ejus 17.
§. 1. ad municip. II.* si quis alicubi rerum ac fortunarum suarum
summam constitutam habeat ibiq; habitet *l. 2. c. ubi Senat. III.*
vel alicubi larem, id est totam administrationem domesticam
foveat *d. l. 2. IV.* vel alicubi assidue versetur. *d. l. 2. l. 5. ad muni-
cip.* de qua ultima assertione multi dubitant propter *d. l. 2. ubi*
particula *ET* aliud suadere putant. Verum praeterquam quod in
multis exemplaribus manuscriptis, teste Menochio *de arb. jud.
l. 2. cas. 86. & Socin. ad c. f. X. de for. comp.* pro ista copulativa *ET*
legatur alternativa *aut*, ista sententia optimè probatur per *d. l. 5.*
ubi Paulus JCrus asserit eum, qui pluribus in locis ex quo fre-
quenter negotiatur, pluribus quoq; in locis domicilium habere,
cujus assertionis alia ratio dari nequit, quam quod ex assiduita-
te conversationis tanquam re & facto declaratus animus domi-
cilium ibi habendi colligatur.

XXII. Quantum autem temporis requiratur, ut ex illa
assidua

assidua frequentatione quis domicilium contraxisse præsumatur, inter Dd. controversatur. Mascardus *d. probat. concl.* 536. & Gaius 2. *obs.* 35. n. 7. putant ex decennali assidua frequentatione seu habitatione præsumi animum domicilium contrahendi, per *l. 2. C. de incol.* verum tutius id definiendum relinquitur arbitrio iudicis, qui ex loci & personarum conditione etiam minori tempore domicilium contractum arguere potest, quoties enim quid lege definitum non est, toties ad arbitrium iudicis est recurrendum Menoch. *d. arb. jud. l. 2. c. 86. n. 17.* Mæv. *ad jus Lubecc. l. 1. s. 2. n. 64.* Nec *d. l. 2.* quicquam facit pro sententia contraria, sed ipsa eam satis apertè refellit, nam ad conjecturandum constitutum domicilium illa diserte requirit factum cum tempore junctum, ut sc. habitatio perpetua constituta sit, aliudve quid factum, unde animi contracti domicilii appareat, & ita non ex lapsu decennii, sed ex *sedium* id est domicilii constitutione post decem annos ejusmodi animus in studiosis in *d. l.* colligitur. Quod autem in *d. l.* decennii fiat mentio, id inde esse puto, quod tempore Alexandri Imperatoris, (qui istius Legis autor est) complendo juris civilis studio, cujus in rep. Romana semper fuit maxima cura & sollicitudo, decennium præstitutum fuerit *arg. §. 3. proæm. Instit. & §. 8. const. ad Antecessor.* quod decennium postea Justinianus, jure civ. in meliorem ordinem redacto, restrinxit ad quinquennium *§. 2. Const. d. Ord. & meth. jur. docend.* qua in re Imperatorem sequutus est Pontifex, qui studio Theologiæ etiam quinquennium *c. ult. X. d. magistr.* jure vero Canonico seu Pontificio septennium præstituit. *c. ex eo d. Elect. in 6.* Hoc tempore elapso præsumitur quilibet studiū suum absolvisse, nec amplius studendi causa aliquo ibi commorari. Si itaque studiosus præscripto studiis tempore finito sedes constituerit, vel uxorem ibi duxerit, præsumitur animo domicilii constituendi id fecisse, nisi ostendi possit, quod adhuc animum studendi habeat, & ita in loco eum morari studiorum tantum gratia. Multi enim sunt tardioris ingenii, ut intra præstitutum tempus studiū absolvere nequeant, multi etiam ultra studium principale aliis disciplinis incumbunt, quibus omnibus addiscendis certum temporis spatium definiri non potest. De Aristotele refertur, quod

quod XX. annos præceptorem suum Platonem audierit. *Laërt. in vit. Arist.* Bartolus novennium in studiis consumsit, ut ipse testatur in *l. quidam cum filium. d. V. Oblig.* Solus itaq; temporis etiam longissimi lapsus animum contracti domicilii non arguit, nisi aliud quid accedat, ex quo ille præsumi possit.

XXIII. Verùm postquam consuetudo Germaniæ passim introduxit, ne quis in aliqua civitate ultra annum utatur proprio igne & foco, sed jus civitatis sibi comparet *Gail. 2. obs. 35. n. 8. May. ad jus Lubec. l. 1. art. 2. n. 67.* istis conjecturis, ex quib. animus contracti domicilii colligi & plures controversiæ gigni solent, meta hodie imposita est, ut quilibet post annum incolatum & domicilium contraxisse præsumatur *Gail. May. d. l.* nec nuda contestatio nec protestatio actui contraria eum juvat, ut in terminis eleganter discutit *Tileman. de Benign. decis. Cameral. Syntagm. 2. decad. 1. vot. 2. n. 53. arg. l. 2. ad munic.* Nisi tempore belli vel persecutionis exul in urbem quondam confugerit ad evitanda pericula & quærendam securitatem & quietem. Hic, etiamsi per multos annos cum familia & supellectile ibi commoraretur, non censetur ibi contraxisse incolatum seu domicilium, sed ob supra dictam rationem hospes & forensis est, quamdiu metus & periculum durat. *conf. Mascard. d. prob. concl. 535. n. 26.* Nec magistratus istius loci, ubi viget statutum, ne ultra annum quis ibi utatur proprio igne & foco, sed ut sibi comparet jus civitatis das Bürger Recht / ejusmodi exules jus civitatis redimere nolentes ex urbe arcere potest, per ea quæ habet *Ruland. in quest. Cameral. 27.* Unde mandata sine clausula contra civitatem Lubecensem, Erfordiensem & Wimpensem decreta fuisse refert *Ruland. d. l.* quod abigere voluerant, qui jus civitatis petere justo tempore neglexerant.

XXIV. Fieri etiam potest ut quis uno eodemq; tempore pluribus in locis domicilium habeat *l. Labeo. 5. ad municip. l. 27. §. 2. eod.* Licet id difficulter fieri posse dicat *Julianus in d. §. 2.* testatur tamen experientia aliquando Nobiles diversis in locis habere domicilia. *Obrecht. d. juris d. l. 3. c. II. n. 24.* Ut autem diversis in locis domicilium quis habeat, necesse est, ut non minus frequenter in uno quàm in alio habitationis gratia commoretur,

retur, ex eo enim quod in utrolibet loco commoratur colligitur demum animus contrahendi domicilium *d. l. 27. §. 2.* cum animus non possessio domum faciat. *d. l. 17. §. 5. & 13. ad munic.* Hinc si quis per semestre hic, per aliud semestre illic, aut vere in hoc, æstate in illo, autumno alio in loco & hyeme adhuc in alio cum familia instructus morari solet, in omnibus quatuor locis domicilium contraxisse docet post Bart. & alios Coler. *d. process. execut. p. 2. c. 1. n. 28. Zang. d. except. p. 2. c. 1. n. 92.* Si quis autem pro majori parte anni in uno, in alio autem minori tempore habitet, ibi eum domicilium habere, ubi diutius commoratur, putat Zangerus *d. l.* quod tamen non absq; ratione improbat Pruckman. *1. conf. 31. n. 72.* quem sequitur Hillig. *l. 17. Enucl. Don. c. 12. lit. G.* Quoniam autem ista res valde perplexa est, definiendam relinquerem arbitrio judicis, qui in eam descendat sententiam, in quam graviores conjecturæ ex rerum & personarum qualitate sumptæ eum trahere videbuntur.

XXV. Domicilium sic constitutum ex juris dispositione ad alios quoq; derivatur in quorum numero sunt I. liberti eorumq; filii, hi omnes domicilium patroni sequuntur, ut quamvis alibi degant, tamen intelligantur domicilium habere, ubi id habet patronus. *text. in l. filii pr. ad municip.* II. Servus habitus ex servitutis possessione in libertatem proclamans sequitur domicilium domini *l. 1. C. ubi causa status.* Hodierni v. famuli cum sint homines liberi, nec familiae domini perpetuo addicti, proprium suum domicilium habent. *vid. Dn. Carpzov. 3. Jurispr. Sax Const. ult. def. 18.* III. Mulier domicilium mariti sui sortitur. *l. 65. d. jud. l. f. C. d. incol. l. 8. d. senat. quod & marito demortuo retinet vidua l. 22. §. 1. ad munic. modo ad alia vota non transferit l. f. C. d. incol.* Quidam volunt aliquando maritum domicilium uxoris sequi, wann der man zum Weibe einfreyet. quos sequitur Zanger. *d. except. p. 2. c. n. 24.* Sed rectius dicitur, quod hoc casu maritus non ex persona uxoris, sed ex sua propria domicilium habeat, facto enim proprio in loco domicilii uxoris suum domicilium constituit *arg. l. 17. §. 2. & §. 13. ad munic. Hillig. l. 17. Enucl. Donel. c. 12. lit. L.* Quod sponsa domicilium sponsi non sortiatur est *text. in l. 32. π. ad munic.* IV. Ex consuetudine genera-

nera-

nerali, si Cothmanno 2. *cons.* 72. n. 38. credamus, filii sequuntur
domicilium sui patris, donec aliud proprium sibi constituerint.
Jure autem civili domicilium paternum ad filios non transit *l.*
assumpt. §. filius & l. non utiq; ad municip. cujus rei rationem hanc
reddidit Bald. *in l. i. π. & C. de munic.* quod cum domicilium habi-
tationis requirat factum hominis, non possit ipso jure ad filios
transire, sicut nec possessio, ex quo concludit, ideo infantes nō
habere tale domicilium, nisi habeant tutorem vel patrem, qui
intendant eis id cōstituere: possunt enim hi illū facere incolam,
sicut possessorem. Unde si pater tuus cōstituerit hic Jenæ domici-
lium & deinde mortuus sit relicto te infante, non potes hic con-
veniri de contractibus a patre alibi celebratis, cum hujus civita-
tis neq; incola neq; originarius sis, *Bart. d. l. Socin. in c. f. ext. d.*
for. comp. n. 39. quod a. d. l. addit Baldus, quod nec statutum pos-
sit facere, ut domicilium transeat ad filium, cum lex non possit
introducere factum, sicut nec impedire ut factum fiat infe-
ctum, admittendum non est. quoniam enim statutum potest in
aliud transferre possessionem (quæ etiam facti est) absq; corpo-
rali apprehensione *c. 2. ext. d. consuet.* nihil impedit, quo minus
idem facere possit in constituendo seu acquirendo domicilio.

XXVI. Domicilio ita constituto videamus quid illud,
quantum nostram materiam attinet, operetur. Et constat quem-
libet ibi forum sortiri, ubi domicilium habet, sive ibi sit præsens
sive absens. l. heres. §. i. l. absens. 19. §. proind. 2. & §. ult. d. jud. l. 4.
§. prator. d. damn. infect. l. 2. & §. pr. C. d. jurisd. l. f. C. ubi in rem
act. l. 3. C. ubi caus. stat. Hoc forum domicilii generalissimum est
& concurrat cum quolibet alio foro excepto eo, quod ex conti-
nencia causæ competens est. *Coler. d. process. execut. p. 2. c. i. n. 82.*
Gail. 2. obs. 39. & Dd. comm. unde in jure nostro *Forum* per excel-
lentiā dicitur in *l. 2. C. d. jurisd. l. f. C. d. incol. l. f. C. ubi act. in*
rem. Nam cum sortitio fori ex eo quod jurisdictioni subjectus
sit, dependeat, ut supra ostensum est, nihil autem sit, quod istam
subjectionem potentius inducat, quam domicilium (adeo ut hoc
solum verum subditum facere dicat gloss. *in cl. un. d. for. comp.*
quam sequuntur Dd. communiter) fieri non potest, quin quili-
bet ex quacunq; causa conveniatur in loco domicilii. Rectè igitur
C

tur forum domicilii concurrat cum foro delicti l. 2. C. ubi d. crim.
cum foro contractus l. heres. §. 1. d. judic. l. 2. C. d. jurisd. cum
foro rei sitæ l. fin. C. ubi in rem l. creditores. 3. d. pignor. c. f. ext. d.
for. comp. quod posterius tamen negat post Hostiens. Donell.
comm. 17. c. 17. quem ibi sequitur Hillig. hac potissimum ratione
quod sententia ab eodem iudice executioni mandari nequeat.
Verum præterquam quod iudices sub uno imperio constituti
mutuam sibi operam præstent, ut una jurisdictio adjuvetur per
aliam l. 8. C. d. Episc. aud. Gail. 1. obs. 113. n. 16. jure nostro in actio-
nibus realibus condemnatio quidē fit ad rem restituendam, sed
si ad jussu iudicis nō restituatur, reus aliquando condemnatur
in pecuniam, quanti in litem actor juraverit l. 49. & seq. d. rei
vind. quod cum commode iudex domicilii exequi possit, fru-
stra Donellus à sententia communiter recepta divortium fa-
cit. Ad textus, quos pro se adducit respondet Bachov. ad Tr.
1. disp. 3. th. 9. lit. G. conf. Magn. Dn. Frantz. ad t. d. judic. n. 71. con-
fer Vult. ad l. 1. C. ubi in rem n. 6. & seq. Ob causam tamen reddend-
arum rationum de administratis negotiis alienis non in foro
domicilii, sed in loco administrationis tantum administratores
forum sortiri Doctores comm. volunt, cum ibi negotii gesti lo-
cupletior instructio & certiora documenta haberi possint l. 2. C.
d. ratiocin. Dn. Frantz. l. 2. resol. 46. Dn. Carpz. 2. Resp. 33. Cæte-
rum, si quis plurib. in locis forum sortiatur, actoris est electio,
ubi reum convenire velit arg. l. 19. ad munic. l. 4. de eo quod cert.
loc. Uno autem electo ad aliud transire non potest Coler. d. pro-
cess. p. 2. c. n. 25. Rittersb. ad Novell. p. 9. c. 10. n. 63. & hoc ob præ-
ventionem jurisdictionis, quæ ut facta intelligatur non requi-
ritur præcise contestatio litis, sed citatio Rei sufficit per text.
in l. 7. π. d. judic. Gail. 1. obs. 11. n. 1. Myns. 4. obs. 26.

XXVII. Porro Domicilio mutato, mutatur etiam juris-
dictio, adeoq; reus non in priori ut vult Bachov. ad Tr. 1. disp. 3.
th. 8. lit. C. D. & Duaren. d. jud. c. c. d. for. comp. sed in noviter cō-
stituto est conveniendus, nisi lis jam fuerit cœpta; tunc enim lis
in foro domicilii prioris propter præventionem est finienda l. 19.
d. jurisd. l. 7. d. jud. c. 19. ext. d. for. comp. Forum autem contra-
ctus, delicti vel rei sitæ per domicilii mutationem non mutantur
l. 2. C. d. jurisd. l. 19. l. ult. d. jud. Sicut vero ad constitutionem
domi-

domicilii requiritur animus & factum, ita etiam animus transfe-
rendi, & ipsa alibi actualiter instituta habitatio requiritur ut do-
mici- lium dicatur mutatum *l. 20. ad municip.* Illum autem ani-
mum & translata- m habitationem probabit is qui mutationem
domicilii asserit *Gail. 2. obs. 35. n. 7. Carpz. l. 6. resp. 40. n. 17.*

XXVIII. Certum domicilium habentibus opponuntur
Vagabundus & fugitivus. ille omnino nullum certum domici-
lium habet, hic quidem quoddam habet sed sui conveniendi co-
p- iam auctori subtrahit; ne isti igitur justitiam illudant, ubicunque
reper- ti fuerint conveniri possunt *Coler. d. l. n. 91. Carpz. d. l. 2.
resp. 25. n. 12.* In casu enim necessitatis jurium solemnia relaxari
solent, & multa alia, quæ aliàs sunt prohibita, permittuntur. *l. 1.
w. d. off. cons. c. si quis propter necessitatem. X. de for. comp.* unde
quoties de alicujus domicilio non constat, toties forum sorti-
tur Reus in loco ubi deprehenditur, ut una jurisdictio per aliam
adjuvetur & ita cuilibet administretur justitia. *Bart. in l. 19. §. 1.
n. 1. Alberic. de Rosat. ad d. l. n. 7. Coler. d. l.* Vel si bona alicu-
bi habeat, actio ibi instituitur & à Magistratu illius loci Curator
bonorum, qui vagabundi vel fugitivi personam defendat, con-
stituitur. *Zang. d. except. p. 2. c. 1. n. 102. Carpz. d. resp. n. 10.* Quod
si autem nullibi reperiri possint, nec bona alicubi habeant, per
publicum proclama seu citationem, uti vocant, Edictalem re-
quiruntur, ut se sistant ad respondendum, qua dere vid. *Gail. 1.
obs. 57. n. 51. & Carpz. d. l.*

XXIX. Atq; ita personæ conveniendæ sortiuntur forum
ratione domicilii, quod verum subditum facere supra dixi-
mus. Unde facile intelligi potest, quod Vasallus ex eo, quod
in territorio Domini feudum possideat, nec tamen ibi consti-
tuit domicilium, coram domino feudi in meris personalibus
conveniri non possit, quod etiam confirmat die Braunschwei-
sche Hoffgerichts *Ord. tit. 25.* nec non die Lüneburgische Hoffge-
richts *Ord. tit. 10.* Nam licet domino feudi in vasallum competat
jurisdictio, à quo fori sortitionem dependere supra diximus, illa
tamen non generalis seu ordinaria, sed specialis est & restricta
ad causas feudales 2 *FF. 55 §. praterea si inter. c. ceterum c. novit.
ext. d. jud. c. ex transmissa. & c. verum ext. d. for. comp.* proinde

extra suos terminos extendi non potest. *Hartm. Pistor. l. 1. q. 15. n. 27. Carpz. 6. resp. 115. n. 9.* ubi tamen tradit in Electoratu Sax. in praxi & usu fori observari contrarium. adde *l. 2. resp. 12. n. 2. & 3.* ubi ostendit quod etiam illi qui de feudo saltem simultaneè à Sereniss. Electore Sax. sunt investiti, licet in provinciis Electoratus nec possessionati sint, nec domicilium contraxerint, de quacunq; causa conveniri possint in curiis Electoralib. Ex quo hoc notandum est circa fori competentiam vel incompetentiam consuetudini & observantiæ judiciorum multum tribuendum esse. Sed properandum ad alia.

XXX. SECUNDA CAUSA SORTIENDI FORUM EST SITUATIO REI quæ actione reali petitur. Nam jurisdictioni judicis non tantum personæ, quæ in ejus territorio domicilium habent, sed etiam singulæ res, quæ ibi sunt sitæ, subjectæ sunt. *Covarr. pract. qq. c. 1. n. 9. Gail. 2. obs. 62. n. 9. Reink. d. reg. sec. l. 1. cl. 5. c. 1. n. 26.* Ex quo est, quod dominus territorii vigore suæ jurisdictionis prædiis tum rusticis tum urbanis, quæ ibi etiam non subditi tenent, tributum censuale imponere possit. vid. *Mind. d. process. extrah. l. 2. c. 46. Mev. ad jus Lubec. quest. prelim. 3. n. 43.* Eadè ratione etiã non subditus ob re in isto territorio sitã actione reali ibi ubi sita est conveniri potest, ibique respondere tenetur, nisi rem, de qua convenitur adversario cedere malit. *l. fin. C. ubi in rem junct. l. 5. d. re jud.* actione enim reali non possessoris persona, sed ipsa res de qua litigatur, principaliter convenitur, *per text. in l. 7. d. publ. relatio a. illa,* quæ est inter possessorem & rem possessam facit, ut is cum re petenda eidem jurisdictioni subesse videatur & ita in loco rei sitæ conveniri possit. Unde sequitur nihil referre utrum possessor Reus in loco rei sitæ reperiatur, an vero non, secus ac opinatur post *Sichard. Cujac. parat. C. ubi de hered.* ubi scribit in loco rei sitæ actione reali reum non posse conveniri, nisi ibi reperiatur. quod non tantum est contra *l. 3. C. ubi in rem & l. legatur d. rei vind.* sed contra naturam actionis realis, qua non personam sed rem ipsam petendam persequimur. *arg. d. l. add. l. 25. d. O. & A. Bach. ad §. 1. n. 3. Inst. d. act.*

XXXI. Pertinet hoc forum rei sitæ non tantum ad res immo-

immobiles, sed etiam ad mobiles *arg. l. fin. C. ubi in rem l. quod legatur, l. non alias §. fin. & l. seq. d. jud. l. 10. & seqq. d. rei vind.* qui textus indistincte loquuntur de Rebus, ideoque restrictionem facile non patiuntur, licet multi dissentiant. Hinc si quis eum Titii equo, vel alia re mobili, qualis est pretiosus annulus, per aliquem locum transferit, Azo, quem Baldus tubam veritatis dicere solet, putat, Titium ibi illum rei suæ possessorem actione reali convenire posse, ipsumq; ibi cogi etiam invitum iudicium suscipere; sed Hugolinus quem citat glossa *ad l. f. C. ubi in rem.* illud negat, & convento jus revocandi ad locum domicilii concedit, ita tamen ut satisfaciat, quod se in loco domicilii iudicio sistere velit, & si reus fuerit suspectus de fuga, putat rem esse sequestrandam interim dum de ea in loco domicilij litigatur. quam opinionem postea etiam amplexus est Accursius *in d. l. f.* Hanc controversiam postea Petrus de Bella pertica, atque post eum Cynus, Bartolus & alii *in d. l. f.* hac distinctione conciliare conati sunt; quod, si equus aut alia res mobilis in locum aliquē sit delata eo animo, ut ibi sit & maneat perpetuo, sc. moraliter, Azonis sententia procedat; sin a. non sit eo animo illuc delata, sed vel custodia causa ibi sit, vel solum per locum quendam transeat, non possit eo loco vindicari, atq; tum opinio Hugolini vera sit. Verum hæc distinctio postmodum à *Dd.* comm. rejecta est, adeo ut vix defensorem repererit, & Azonis opinionem communiter approbatam & in usu fori receptam esse testatur post Sichard. Vultejus *ad d. l. n. 19.* ubi operosè dictam distinctionem refellit, & addit: *ad ejusmodi distinctiones nulla jure suffultas necesse est tandem decurrant illi, qui in opinando à juris textibus & fundamentis abeunt longius.* Verum enimverò, si rem non ex autoritatibus, sed ex sua natura æstimare velimus, Petri sententia jure nostro verissima est, quam, teste Cl. Dn. Hahn. *in Obs. ad parat. Wesenb. t. d. judic. n. 16 pag. 369.* Facultas juridica in Inclytâ Academia Helmstadiensi anno 1644. Respondendo etiam approbavit. Rationes quidem, quas habent Cynus, Bart. & alii, stringentes non sunt. Mihi videtur probatio illius sententiæ inde accersenda, quod situatio rei petendæ nullam ob aliam causam competentiam fori in loco rei sitæ inducat, quam

quam quod jurisdictioni, quæ isti loco seu territorio q. inhæret, res ibi sitæ subjectæ sint, ex eo enim dependet ut supra diximus, competentia fori. Res immobiles quod attinet non possunt non esse illius jurisdictioni subjectæ, in cuius territorio sunt sitæ. Res autem mobiles, quæ in illud territorium sunt delatæ, tum demum ibi sitæ dici queunt, quando eo animo sunt delati, ut ibi sint & maneat, nisi quid avocet: perinde ut quis tum demum dicitur domicilium habere in loco, si animum perpetuò manendi habeat. Res igitur mobiles eo animo illuc delatæ, ut ibi sint custodia tantum causa vel ut transeant, non possunt dici isti jurisdictioni subjectæ, cum non sint res istius territorii, licet in illo reperiantur. Plurimum enim differunt esse rem territorii seu de territorio, & esse in territorio, ut id eleganter ostendit *Meichsn. l. 1. tom. 2. decis. 8. n. 42. & seqq.* qui posterior existendi modus subjectionem non arguit, alias omnes personæ in aliquo territorio subsistentes etiam subessent ejus jurisdictioni, cujus in territorio reperirentur, & apud eum conveniri possent, quod tamen nemo dixerit, *conf. arg. l. 19. §. 2. d. jud.* Cum itaq; eæ res mobiles, de quibus tractamus, nulla ratione jurisdictioni ejus territorii, in quo reperiantur, sunt subjectæ, in proclivi est, illas actione reali ibi peti non posse,

XXXII. Cum itaq; hic modus sortiendi forum ex ipsa re, de qua controversia est, æstimetur absq; ullo personarum respectu *arg. d. l. 7. d. public.* in universum omnes possessores contra quos actione reali experimur in loco rei sitæ conveniri possunt, etiam qui aliàs foro privilegiato gaudent, adeo ut ne ipsi clerici, forum rei sitæ declinare possint, quod & in camera Imper. ita observari testantur *Myns. 1. obs. 22. Gail. 1. obs. 37. n. 4. conf. Sicbard. ad d. l. f. C. ubi in rem. n. 4. Quin imo ratione rei sitæ superior coram longè inferiori conveniri potest Gail. d. pignor. obs. 15. n. 3. Paurm. d. jurisd. l. 2. c. 8. n. 15. & n. 110.* actione enim reali ipsa res potius convenitur quam persona eam possidens. *d. l. 7. d. public.*

XXXIII. Ut autem Reus sortiatur forum in loco rei sitæ requiritur, ut iudicio reali conveniatur *arg. l. f. C. ubi in rem. l. fideicom. 50. d. jud.* aliàs si exc. gr. ad rem emptam vel stipulatione pro-

promissam actione merè personali agatur, locus rei sitæ forum
competens non est. *arg. l. 11. d. act. empt. l. 3. pr. d. usufr. leg. obrut.*
d. jurisdict. l. 3. c. 13. n. 18. Ratio diversitatis est quod actus realis
principaliter rem, personalis autem principaliter personam se-
quatur *l. f. §. f. π. d. contr. empt. l. 25. in pr. π. d. O. & A.* Quod si
actio fuerit mixta i. e. & realis & personalis, videri posset, quod
ea quoad præstationes personales in loco domicilii & quatenus in
rem est, in loco rei sitæ sit instituenda. Verù cum actiones mixtæ
ita mixtæ sint, ut qualitates earum simplices vix separari possint,
dispositio autè in simplicibus locum etiam habeat in casu mixto
arg. l. 13. pr. d. lit. & postb. l. 81. pr. d. hered. inst. juri consentaneum est,
ut si agatur in loco rei sitæ ad rei persecutionem, simul etiam ad
personales præstationes ibi agi possit *Mejer. in Coll. Argent. t. d.*
jud. n. 120. Zang. d. except. p. 2. c. 1. n. 294. quod ut fiat omnino
suadet connexitas seu continentia causæ, de qua infra agetur.

XXXIV. Cum vero forum rei sitæ proprium sit actioni-
bus realibus, operæ pretium est investigare, quænam actiones
tales sint. Est autem judicium reale nihil aliud, quam quod ali-
cui ex jure, quod in re habet, adversus possessorem rei competit,
arg. l. 23. d. rei vind. l. 36. eod. junct. l. 25. d. O. & A. Jason. in §. 1.
d. act. n. 60. Bach. in tr. d. act. disp. 2. tb. 9. junct. tb. 14. nec inter-
est, an possessor rem suo nomine possideat, an nomine alieno, ve-
luti colonus, depositarius, commodatarius &c. *l. 18. d. acquir.*
poss. l. 19. d. rei vind. l. 2. C. ubi in rem. & licet hi verè non possi-
deant, sed in possessione rei tantum sint, eamq; detineant, tamen
cum rei restituendæ facultatem habeant, contra eos actionem
realem in loco rei sitæ competere est text. *in d. l. officium. 9. d. rei*
vind. aut non coguntur judicium acceptare invitè, sed ante litis
contestationem nominando authorem liti se eximere possunt *d.*
l. 2. C. ubi in rem. & ibi Sichard. & Vult. Hujus judicii realis cau-
sa constitutiva est *jus in re*, id est, quod ipsi rei petendæ inhæ-
ret, *Bach. d. tr. disp. 2. tb. 9.* & est secundum Bachovium quadru-
plex, *Possessio, Dominium, servitus & pignus seu hypotheca. d. tr.*
disp. 1. tb. 14. quibus quintam speciem, nim. *jus hereditatis* rectè
addit Cl. Dn. Hahn *d. jur. rer. tb. 4.*

XXXV. Judicium reale, quod ex possessione competit,
vulgò

vulgo dicunt *judicium possessorium*, estq; duplex, *Ordinarium*, quo ordine solenni servato proceditur, & *Extraordinarium* seu *summarium*, (quod *momentarium* dicunt ex *l. un. C. ubi de poss. ag.*) in quo sine strepitu judiciali de simplici & plano, ut loquuntur, quàm brevissimè proceditur *Gail. 1. obs. 6. & 7.* Utrumq; distinguunt quod sit vel adipiscendæ, vel retinendæ vel recuperandæ possessionis §. 2. *Inst. d. interdictis*. Omnia ista possessoria judicia realia vulgo dicunt, ideoq; omnia peragi posse volunt in loco rei sitæ, si modo non ob factum, sed ob ipsam possessionem instituantur. *vid. Zang d. l.* Verùm in puncto juris hoc posterius minimè verum esse puto. Nam ut locus rei sitæ competens forum sit, requiritur, ut iudicio reali reus sit conveniendus, ut supra ostensum. Interdicta autem adipiscendæ & recuperandæ judicia realia non sunt *arg. l. 1. §. 3. π. d. interd. & l. f. C. eod. Donell. 15. comm. 14. Anton Fab. 19. conject. act.* licet multi dissentiant. Quamvis enim semper de possessione competant, inde tamen non sequitur, quod proinde sint judicia realia, quippe natura iudicii realis non ex re, quæ petenda venit, sed ex ejus vera causa constitutiva, quæ est jus, quod habet actor in re petenda, æstimanda est. *arg. d. §. 1. Inst. l. 3. pr. d. rei vind.* Atqui in iudiciis adipiscendæ vel recuperandæ actor, possessione nondum acquisitâ vel jam amissâ, possessionem habere dici non potest, ergo nec reale iudicium illi competit. Unde etiam est quod interdictum recuperandæ *unde vi.* detur tantum contra deicientem, etiam si nō possideat, *l. 1. §. 42. & l. 15. π. d. vi arm.* nec datur contra tertium possessorem *l. 7. eod.* quod utrumq; est contra realium iudiciorum naturam. Non possunt igitur illa judicia adipiscendæ vel recuperandæ in loco rei sitæ institui. Quapropter rectè dicitur in *l. 2. C. d. interd. Praeses provinciae in eū, qui ejusdē provinciae non est,* (sc. subditus ratione domicilii.) *nec ex interdicto potest cognoscere.* nec resistit *l. un. C. ubi hered. nec l. un. C. d. poss.* nā in priori agitur de imploratione officii iudicis pro missione in possessionē rei vacuæ & à nemine possessæ, quo casu cum nullus sit adversarius, contra quem ista possessio postuletur, alio in loco, quam ubi res sita est, imploratio ista fieri non potest. Si autem illud iudicium fuerit contentiosum, Reus, juxta juris nostri dispositionem, alibi quam

in fo-

in foro domicilii conveniri non potest. Textum posteriorem, quod attinet, responderi potest quod interdictum recuperandæ unde vi competat de facto & violentia, qua reus actorem de possessione dejecit, & ita ratione istius facti, quod delictum sapit, reus conveniendus sit in loco, ubi vis facta est h. e. delicti commissi, qui hic semper idem est cum loco rei sitæ. Interdictum igitur hoc in loco rei sitæ institui potest, illud a. efficere illâ Realitatem judicii vel illâ rei situationē, de qua tractamus, h. e. quod contra Doctores constanter negamus: Hæc ita se habent de jure civili: in usu autem fori, si credendum Vultejo *ad l. un. C. ubi d. hered. n. 27. & seq.* omnia judicia possessoria in loco rei sitæ institui possunt. Tantum de actione reali quæ ratione possessionis competit.

XXXVI. Ex dominio rei oritur Vindicatio rei, quæ plures sub se species habet, prout ex singulis speciebus domini propriæ nascantur actiones, quas omnes eleganter, ut solet, explicat Bach. *in tr. d. act. disp. 2. tb. 10. & disp. 3. tb. 1. & seqq.* Ex servitutum jure sunt actiones Confessoria & negatoria. §. 2. *inst. d. act.* Ex jure pignoris actio hypothecaria competit, de qua, quod realis sit, textus sunt *in l. 17. d. pignor. l. 18. C. eod. l. 3. §. 3. ad exhib. l. 66. in pr. de eviction.* licet jure novo contra tertium possessorem non nisi excusso debitore principali competat *Nov. 4. c. 2. conf. Magn. Dn. Frantzk 1. Resol. 12. Neguz. d. pignor. p. 8. m. 1. n. 10. & seqq.* Ex jure hæreditario denique petitio hereditatis oritur. *l. 1. d. hered. petit.* Quæ judicia cum omnia realia sint, in loco rei controversæ rectè instituuntur. Solus Donellus quod sciam, primus negavit petitionem hereditatis in loco, ubi res hereditariæ constitutæ sunt, institui posse, nec præter locum domicilii Rei conventi in hac actione aliud forum agnoscit. *17. comm. 17.* sed istam sententiam ut novam & minus juri consentaneam probe refellit *Vult. ad l. un. ubi d. hered. n. 24. conf. Hillig. 17. Donel. enucl. 17. n. N.*

XXXVII. TERTIA CAUSA SORTIENDI FORUM EST DELICTUM. Nam cum reip. interfit, ne delicta maneant impunita. *l. 10. & 70. §. ult. d. fidejuss. congruit,* inquit Ulpianus, *bono*
D & gra.

Et gravi Praefidi curare, ut pacata atq; quieta provincia sit, quam regit, quod non difficile obtinebit, si solícite agat, ut malis hominib. provincia careat eosq; conquirat l. 11. de off. praef. Et licet provinciae Praefes tantum imperium habeat in sua provincia homines, tamen in mandatis principum est, ut curet is, qui provinciae praest, malis provinciampurgare, nec distinguitur unde sint ait Paulus in l. 3. eod. Ex quib9 intelligitur quod delinquens propter ipsum delictum in loco delicti commissi forū sortiatur, licet aliàs jurisdictioni illius loci non sit subjectus. Et hoc verum est sive ex delictis agatur civiliter sive criminaliter, Rittersb. ad Novell. part. 9. c. 10. n. 54. et si aliàs inter crimen & delictum multum intersit. vid. Bach. ad inst. d. delict. pub. Et ad Tr. 2. disp. 30. Omnia enim delicta sua natura criminalia sunt, ut à magistratu etiam ex officio puniri possint. arg. l. fin. d. delict. priv. l. f. d. furt. Nam in vindicandis delictis haec tria lex secuta est, ut aut eum quem punit emendet, aut ut poena ejus ceteris meliores reddat, aut ut sublatis malis securiores ceteri vivant, ut ait Senec. d. clem. l. 1. c. 21. unde etiam privata delicta etiam crimina appellantur §. placet inst. de Obl. que ex del. l. 3. ad SC. Turpit. l. 1. §. f. d. pen. Quod a. ex quibusdam delictis civiliter agi possit ut actori praestetur poena pecuniaria, id ex speciali Legis indultu actoribus concessum videri potest, ne in talibus delictis quisq; sibi ipsi permittere valeret ultionem ut loquuntur Impp. in l. nulli C. d. jude. cum aliàs non plus, quam ipsis ratione delicti abest, petere possent, per ea quæ disputat Arist. 5. Eth. 4. Et H. Grot. d. jur. pac. & bell. l. 2. c. 20. n. 2. & 4.

XXXVIII. Forum hoc Delicti nemo declinare potest, nec illi qui aliàs foro privilegiato gaudent, quia reatus privilegium, & honores omnino excludit l. 1. C. ubi Senat. Unde studiosi in criminalibus praescriptionem fori opponere nequeunt Vult. ad l. 1. C. ubi d. crim. Dn. Frantzk. Comment. t. jud. n. 42. nec milites l. 3. pr. d. re mil., nec Clarissimi l. 1. C. ubi senat. Viri a. Illustres & Spectabiles in criminalibus ex speciali privilegio non nisi coram ipso Imperatore aut ejus delegato specialiter ad istius cognitionem dato conveniri possunt. l. 1. C. ubi Senat. atque ita in loco delicti forum jure civili non sortiuntur. An idem dicendum sit de principib. & Comitibus Imperii nostri expeditum non

non est. Vultejus *ad d. l. i.* defendit negativam, quam sequitur
Bethius *d. pact. illustr. fam. p. 447.* pro affirmativa militat Umm.
d. proces. jud. disp. 4. tb. 2. n. 9. quæ vera quæ falsa sit aliis disqui-
rendum tutius relinquo. Clericos quod attinet sortiuntur qui-
dem forum in loco delicti, sed non nisi coram iudice Ecclesiasti-
co conveniri possunt, qui in eos animadvertit juxta delicti quali-
tatem *c. i. c. 10. ext. d. jud. & i. t. d. sent. excom.* nisi delictum ca-
pitale fuerit, quo casu post degradationem (de cuius forma &
solemnitate *vid. c. de gradat. d. pœnis in 6.*) traditur iudici secu-
lari, qui eum dignitate Ecclesiastica exutum tanquam laicum
demum pro qualitate delicti castigat. *Gail. d. pac. pub. i. c. i. n. 20.*
sed hæc locum videntur habere si Magistratus politicus fuerit
pontificius, qui credere tenetur jure divino clericos à jurisdic-
tione seculari exemptos esse juxta *c. 4. ext. d. jud.* Cum autem sta-
tus Imperii Augustanæ confessioni addicti jure superioritatis
territorialis jurisdictionem tam criminalem quam civilem in
suis territoriis exercent, excusso pontificis jugo, in Clericos et-
iam pontificios pro qualitate delicti jure suo animadvertere
possunt, quod ex iis quæ dicturi sumus de foro Ecclesiastico re-
ctius intelligetur. *vid. Dn. Carpz. prax. crim. p. 3. q. ult.*

XXXIX. Ex his constat delictum attribuere jurisdic-
tionem iudici istius loci, ubi delictum perpetratum est, qui alioquin
delinquentis iudex non erat. Jam videamus quis dicatur locus
commissi delicti, an is in quo delictum inchoatum, an vero in
quo consummatum est. Petrus de Bella - Pertica, quem sequitur
Cynus in *l. un. C. ubi d. poss. ag.* voluit locum delicti esse ubi cri-
men est inchoatum. exc. gr. si quis in Territorio Titii ballistam
exoneraverit & in territorio Caji aliquem transfixerit vel inter-
emerit locum delicti territorium Titii esse non Caji, & hanc opi-
nionem esse communiter receptam testatur *Prosp. Farinac. in tr.*
crim. l. i. t. i. q. 7. n. 45. add. Carpz. prax. crim. p. 3. p. 110. n. 16. Sed
Contrarium tenet Bart, quod sc. locus delicti sit is, in quo deli-
ctum consummatum est, & hanc sententiam amplectitur *Zang. d.*
except. p. 2. c. i. n. 223. Verum cum in delictis tam agens quam pa-
tiens consideretur *arg. l. palam. 43. pr. d. R. V. l. 15. § 1. ad. L. Aquil.*
in utroq; loco conveniri potest *Dn. Franz. ad t. d. jud. n. 41.* Quod

non tantum locum habet, si ex delicto criminaliter, sed & si civiliter agatur. exc. gr. si in dicto casu ex Lege Aquil. actio institueretur, vel si quis in Territorio Caij verbali injura affecerit constitutum in territorio Titii, in utroq; loco injurians forum sortitur. *Socin. in c. pastoral. ext. d. for. comp. n. 6.* Præventio tamen hic locum habet, ut plurium judicum concurrentem jurisdictionem habentium præoccupantis sit melior conditio, per l. si quis. d. jud. l. 32. l. 66. d. procur. ratione n. unius delicti nemo plures penas luere debet. l. 6. d. panis. Sed hoc verum si delictum divisionem non recipiat, sin eam recipiat, in utroq; loco sortitur forum Reus, sed ita ut uterq; judex non de toto delicto, sed tantum de ejus parte judicet: veluti si quis in uno territorio aliquem cæperit, in altero eundem spoliaverit, de capturâ unus, de spolio alter cognoscit & jus reddit, non uterq; de utroq; *Decian. in tr. crim. l. 4. c. 17. n. 6. Obrecht. d. jurisd. l. 2. c. 10. n. 52. Add. Farinac. d. l. 1. t. 1. q. 7. n. 45. Bald. in l. si quis. pr. d. jud. n. 7.*

XXXIX. Locus delicti hoc modo proprium forum delicti est. Verum cum delinquentes plerumq; sint fugitivi & vagabundi ne delicta maneant impunita, cautum est, quod conveniri possint, ubicunq; reperiuntur *l. 1. C. ubi d. crim.* ita tamē ut desiderante judice loci delicti remittantur ad locum ubi delictum commissum est. *Nov. 134. l. 9. §. f. d. accus. l. 7. d. cust. reor. N. 134. c. 5.* ut ibi sit exemplum pœnæ ubi exemplum culpæ; maxime n. interest reip. scelera eo in loco publicè puniri, in quo fuerunt perpetrata, ut qui nondum deliquerunt, à delictis abstineant delinquentium punitione deterriti *l. 28. §. 15. d. pan. & d. N. 134. c. 5.* Quæ ratio cum tantum in criminibus publice coercendis procedat, remissio ista in privatis delictis (si nim. civiliter ex illis agatur) locum habere non videtur. Quod a. ista remissio ad petitionem judicis loci delicti non fuerit Urbanitatis ut gl. & quidam volunt, sed necessitatis, tum ex dictis, tum ex *d. Nov. l. quidò constare arbitror, quam citra omnem sui injuriam Præsides provinciarum facere tenebantur.* Nam quoniam tempore Justiniani Imp. Præsides provincias sibi concreditas non suo, sed Imperatoris nomine ad ejusq; arbitrium administrabant, citra eorum injuriam ab Imperatore illa necessitas facinorosos re-

mit.

mittendi ad locum delicti illis imponi poterat. Unde etiam in
praefecturis Electoratus Saxoniae judices inferiores Quæstorib.
petentib. delinquentem deprehensam remittere tenentur vid.
Magnif. Dn. Richter. 1. decis. 15. per tot. Verum cum status Imp.
nostri suorum territoriorum non sint solum administrato-
res, quales erant tempore Justiniani provinciarum Praesides, sed
veri domini ut in iis exercere possint omnia jura regalia, omni-
modam jurisdictionem, citra praedictum juris territorialis,
quod habent, illa remittendi necessitas ab Imperatore mandari
neutiquam potest Gail. 1. d. pac. publ. c. 16. n. 30. Carpzov. prax.
crim. 3. q. 110. & 2. const. 22. defn. 3. n. 5.

XL. QUARTA CAUSA sortitionis fori est specialis subje-
ctio litigantium: quæ fit quoties illi consentiunt in judicem,
aliàs incompetentem l. 1. & 2. d. jud. l. 17. §. 1. eod. l. 1. Cod. d. ju-
risd. Quamvis enim regulariter nemo jurisdictioni territoriali
subjectus sit, nisi ratione territorii, quatenus nimirum in eo do-
milium constitutum habet, vel rem ibi sitam tenet, vel terri-
torium maleficio aliquo violavit, de quibus forum sortiendi
causis haecenus egimus, evenit tamen nonnunquam ut magi-
stratus vel judex suam jurisdictionem exerceat in eum, qui dictis
modis ejus territorio subjectus non est. Hoc fit quoties litigantes
se se illi subjiciunt in certa aliqua causa controversa, ut ille ju-
dex, aliàs illis non competens, eam suâ sententia dirimat arg. d.
l. 1. & 2. d. jud. l. 1. C. d. jurisd. Voluntas quidem privatorum per
se id facere non potest, ut jurisdictione extra suos limites extenda-
tur arg. l. 6. d. jurisd. accedente tamen Legis autoritate quo mi-
nùs id fieri possit, nihil impedit. atq; ita quod sola voluntas seu
conventio privatorum efficere non poterat, lege approbante ef-
ficitur.

XLI. Hoc autem ut procedat nuda conventio jure
nostro civili sufficiens non est: priusquam enim judex a-
diretur, Reo voluntatem mutare permissum est, nec ei conven-
tioni stare necessario tenetur. l. 18. d. jurisd. cum nec in aliis nego-
tiis nudum pactum ad actionem profit l. 7. §. sed cum. π. d. pact.
l. legitim. C. eod. Contractu itaq; seu conventionem legitimam hic
opus esse Dd. comm. volunt. Præter hanc autem nihil aliud quo

ad hunc effectum requiri videtur, *arg. d. l. 1. § 2. d. jud.*, adeo ut nec consensu judicis adeundi opus sit *per text. in d. l. 2. π. d. jud.* Unde cum Cujac. & Donello sentio, ut quis apud judicem non competentem legitimo consensu partium electum conveniri possit, ad id non requiri aditionem judicis secus ac Dd. communiter volunt, nec resistit *l. 18. d. jurisdict.* nam ibi J Ctus loquitur de casu, quo jurisdictio prorogata seu extensa est nudo pacto, cui procul dubio jure nostro standum non est, cum nudum pactum ad obligationem efficax non sit; à conventionem autem per aditionem judicis completâ, vel aliâs jure civili efficaci, mutata voluntate neutiquam discedere licet. *per ea quæ habet Cujac. ad l. 29. §. fin. § ad l. 2. §. 5. d. V. O. conf. Bachov. ad Tr. 2. disp. 27. ib. 1. lit. L. Dn. Frantzk. Exerc. II. q. 1. n. 11.*

XLII. Notandum tamen est litigantes hoc suo legitimo consensu judicis aliâs incompetentis jurisdictionem prorogate seu extendere non posse, nisi causa, de qua litigatur, ejusdem sit qualitatis, cujus sunt causæ ad jurisdictionem illam pertinentes, ita ut qui magistratus illius sunt subditi, in ejusmodi causis jurisdictioni ipsius subjiciantur etiam inviti. Consensus enim privatorum in illis causis jurisdictionem magistratui concedere non potest, in quibus nullam omnino habet, quod pluribus confirmat Zas. *in l. 15. n. 6. § seqq. d. jurisd.* Si itaq; causa, de qua apud judicem incompetentem litigantes agere volunt, prorogata ejus jurisdictione, sit ejusmodi, ut iste judex ne suis quidem subditis de ea jus dicere queat, multo minus inter extraneos sibi non subjectos istam causam dirimere poterit. Unde est quod feudalis jurisdictio ad causam allodiam vel contra prorogari seu extendi non possit, nec jurisdictio civilis ad causas criminales, nec Ecclesiastica jurisdictio ad causas civiles. *arg. l. 61. §. ult. d. jud. Gail. 1. d. pac. publ. 12. n. 11. Bocer. d. jurisd. c. 7. n. 28. Scrad. d. feud. p. 10. f. 3. n. 142.*

XLIII. Prorogationem istam jurisdictionis vulgo duplicem pro duplici modo consensum istum adhibendi faciunt: Expressam & tacitam *Marant. p. 4. dist. 6. Paurmeist. d. jurisd. l. 1. c. 24. n. 4. Bach. ad tit. d. jurisd. c. d. prorog. jurisd. n. 13.* Expressa est quando expresse & aperte inter partes convenerit, ut judex incompe-

competens in hac vel illa causa adiretur. Tacita est, quando ex facto litigantium præsumitur ejusmodi prorogatio. *Bach. d. l.* Jure autem nostro tribus modis ejusmodi prorogatio tacitè facta præsumitur. Primò quando Reus ad judicem incompetentem vocatus, sciens judicem esse talem non opponit exceptionem incompetentiæ *l. 2. pr. d. jud. l. 15. d. jurisd. l. 1. § 4. C. d. jurisd. add. Myns. 4. obs. 59. Paurm. i. c. 27. n. 17. Bach. d. l. n. 13.*

XLIV. Secundò si quis adversarium suum in judicio convenerit intelligitur tacitè prorogasse ejusdem judicis jurisdictionem, ut reo convento moventi reconventionem apud eundem judicem respondere teneatur *l. 14. § autb seq C. d. sent. § interloc. Anton. d. Matthæis in tr. d. prorog. § sequitur n. 12.* etiam si negotium reconventionis quod movetur à reo convento plane diversum sit. *Bened. Caprom. d. prorog. fol. 757. n. 8. § Dd. comm. in d. l. 14.* quod cum suadeat ipsa natura & qualitas prorogationis, nescio quid in mentem venerit Ant. Fabro, qui istam sententiam absurditatis insimulat *20. conject. 56.* cum in civile sit, cujus agendo quis servat arbitrium contra se eundem judicem dedignari *d. l. 14. § autb. seq.*

XLV. Quoniam autem forum reconventionis fundatum est in jurisdictione prorogata, & tunc demum jurisdictio prorogari possit, si causa de qua agitur ejusdem sit qualitatis, cujus sunt causæ ad illam jurisdictionem prorogandam pertinentes, judex conventi judicare non poterit in reconventionem de causis ad suam jurisdictionem non pertinentibus; nam prorogatio ista præsupponit jurisdictionem, quæ cum in causis illam non concernentibus nulla sit, prorogari utique non poterit. *arg. l. si w. d. jurid. Mindan. d. process. extrab. l. 3. c. 6. n. 17.* Hac ratione conventus coram seculari de causa profana actorem de causa matrimoniali reconvenire nequit. nec conventus coram giudice feudali reconvenire potest actorem de causa seculari. *Myns. 4. Obs. 90. Gail. 1. obs. 40. n. 6.* privati n. jurisdictionem quam non habent alteri conferre non valent. *l. 3. C. jurisd. l. 2. pr. d. jud. § t. t. C. si à non comp. jud.*

XLVI. Tertio ex jurisdictione tacitè prorogata litigantes forum sortiuntur ubi contraxerunt *l. 19. §. 1. § 2. l. 20. l. 45. §. 1. eod.*

et eod. Locus autem contractus jure nostro intelligitur, in quo im-
plendus contractus est. l. 1. 2. & 3. d. reb. autor. jud. poss. l. 21. d. O.
& A. Locus hic ubi implementum obligationis fieri debet, vel
est expresso pacto destinatus, & ibi contrahens forum contractus
sortitur ibiq; conveniendus est *l. 19. §. 4. d. jud. l. un. C. ubi conv.*
qui cert. loc. dar. prom. Carpz. 2. resp. 29. n. 6. vel non est expressè
destinatus, & tunc locus destinatus solutioni seu obligationi im-
plendæ est ubi contractus est celebratus, & ibi reus ratione cōtra-
ctus cōveniri potest *d. l. 19. §. 1. & 2. l. 20. l. 45. d. jud. nisi contrahen-*
tib. aliud placuerit, quod constat ex pacto expresso d. l. 19. §. 2. d.
jud. vel ex conditione, aut aliis circumstantiis colligi potest.
Nam si quis contraxerit cum advena, quem scit illinc confestim
discessurum, eum in loco contractus convenire non potest, *l.*
heres. §. proinde d. jud. intelligitur n. solutionem destinasse non
in loco contractus, sed domicilii sui. *arg. d. §. proinde.* quod si
autem ibi pergulam aut officinam aut horreum conductum ha-
buerit, rectè in loco contractus convenitur, eò quod ibi se solu-
turum promisisse videatur. *d. §. proinde.* Ex eodem principio
dependet decisio *l. exigere. d. jud.* ubi maritus de restituenda do-
te non convenitur in loco, ubi dos constituta fuit, sed in loco
domicilii. nam cum uxor necessariò sequi teneatur maritum,
intelligitur convenisse dotem restituendam in loco domicilii
mariti.

XLVII. Hinc apparet quod quis forum sortiri dicatur ex
contractu, id non æstimandum esse ex eo, quod ibi contraxe-
rit, sed quod ibi solutum iri promiserit, qua promissione intel-
ligitur jurisdictionem istius loci judicis prorogasse *arg. l. 1. & 2.*
d. jud. Ut itaq; in loco, ubi cōtractus celebratus est, quis forū sorti-
atur tantum per accidens est, ratio n. cōpetentiæ fori nō in nego-
tio gesto, sed in contrahentium conventionem, quã prorogasse
intelliguntur jurisdictionem judicis, consistit. His fundamen-
tis positis facile constat non esse probandam illorum sententiam,
quiasserunt, quod ex constituti obligatione constituens in lo-
co qui in constituto destinatus solutioni est, non possit conveni-
ri. pro sententia contraria est optimus textus *in l. 5. pr. & §. 1. d.*
constit. pec. & absque omni ratione Pacius 3. q. 21. inserit d. §. 1.
par-

particulam NON, ut pro *debere* legatur *non debere*. nec no-
bis resistit *l. si quis. §. d. judic.* nam ut dictum est, sortitio
fori contractus non est ex eo, quod quis alicubi contraxerit, sed
quod ibi se soluturum promiserit. Si itaq; aliquis juxta *d. l. §.*
quod antea debuerat, constituerit absq; expressa solutionis col-
locatione in novum locum, merito non convenitur in loco, ubi cō-
stitutum est, sed in loco contractus principalis, ubi in dubio de-
bitum contractum solvendum est; nam cum prior obligatio per
constitutum non novata, sed tantum confirmata seu firmior
reddita sit *l. 33. d. donat.* constituens à principali obligatione
discessisse & promisisse se constitutum soluturum in loco consti-
tuti intelligi non potest. Si autem constituens solutionem collo-
carit in certum aliquem locum, quo minus ibi possit conveniri,
nulla ratione nec ullo juris textu evinci potest.

XLVIII. Cum itaq; quisq; ibi sortiatur forum ubi contra-
ctum implere tenetur, operæ pretium est, ut videamus ubi heres,
qui adeundo hereditatem cum legatariis & fidei commissariis
quasi cōtraxisse dicitur, *§. 5. Inst. d. obl. que q. ex cōtr. actione perso-*
nali à legatariis cōveniendus sit. Inter Dd. magna hac de re est dis-
fensio est, aliud placuit Wesenbecio *in parat. C. ubi fidei com. aliud*
Cujacio *in parat. C. eod. t.* aliud Duareno *ad t. d. jud. c. d. for. comp.*
aliud Vultejo *ad l. un. C. d. t.* aliud aliis. Sed postquam à Justi-
niano Imp. legata & fideicommissa *per omnia & in omnibus exa-*
quata sunt §. 10. Inst. de leg. credibile non est Compilatores juris
nostri jura vetera jam tum abrogata incogitanter reliquisse in
quæstionib. de legatis & fideicommissis. quapropter cum Do-
nello *17. c. 15. & 17.* distinguendum puto hoc modo: aut testator
expressit certum locum, ubi velit relictum præstari, aut de eo nihil
disposuit. priori casu heres rectè convenitur, ubi testator jussit
rem relictam præstari *l. 50. pr. d. jud.* nam heres adeundo heredi-
tatē volūtati testatoris se subjecisse, atq; ita se ibi soluturū promi-
sisse cēsetur. *arg. l. contrax. d. O. & A.* Posteriori casu subdistinguen-
dū est; aut certa est species est relictā, aut incerta; species certa in-
telligitur ex volūtate testatoris ibi præstari debere, ubi quā facil-
lime & minimo cū incommodo heredis id fieri possit, testator n.
censetur heredem quam minimum gravare voluisse *l. 67. §. si rem*
E d. Le-

d. Legat. 2. quoniam ergo heres ibi, ubi res existit, eam quam facillime prestare possit, ibi & conveniri poterit *l. 38. d. jud.* ita tamen ut & conveniri possit in loco ubi major pars hereditatis sita est, nam ut heres ibi satisfaciat legatariis, testatorem voluisse praesumitur *arg. d. l. 50. pr. d. jud. l. 52. §. 3. eod.* Quod si vero res incerta relicta fuerit, heres forum sortitur, ubi major pars hereditatis sita est. *d. l. 50.* quia res incerta in loco certo, ubi peti posset, non existit. *conf. Rittershus. ad Nov. p. 9. c. 10. Hillius. 17. Don. enucl. 17.*

XLIX. Hoc singulare est, quod administratores alienorum negotiorum quales sunt Magistratus eorumque officiales, tutores, curatores, mandatarii, socii &c. si ratione administrationis conveniendi sint, forum sortiantur ibi ubi negotia suae fidei commissa administrarunt *l. 1. C. Ubi de ratioc. l. 19. §. 1. 2. de jud. l. 36. inf. l. 45. eod. l. 54. w. d. procur.* adeo ut si conveniantur in loco domicilii, jus eò revocandi habeant. *d. l. 1. C. cujus rei ratio est,* quod ibi certiora documenta negotii gesti haberi possint *l. 2. C. eod. vid. Dn. Carpz. 2. Resp. 33. & Cujac. in parat. C. d. r.*

L. Potest autem in foro contractus Reus conveniri non solum si ibi reperiatur, sed etiam si absens sit *arg. l. 19. pr. & §. 1. d. jud. n. 37.* Jure v. Canonico praesentia Rei exigitur *c. 1. §. conturbantes. d. for. comp. in 6.* quod in usu fori etiam observatur. *Gail. 2. obs. 36. n. 14. Zanger. d. except. p. 2. c. 1. n. 73. Paurmeist. d. juris d. 2. c. 9. n. 102. Carpz. 2. Resp. 30.*

LI. QUINTA denique causa sortiendi forum ex jure communi est continentia cause, ita dicta quod causas quarum una sine altera propter communem rationem & qualitatem plene cognosci ac liquido determinari non potest, ita contineat & conjungat, ut separari non possint, sed uno eodemque judicio determinentur. *arg. l. 10. C. d. jud. l. etiamsi §. 1. d. minor l. 17. §. plane d. neg. gest.* Continens enim in jure nostro saepe pro eo, quod conjunctum est, sumitur; sic continentia aedificia aedificia conjuncta denotant *in l. 2. & l. 87. de V. S. ibiq; Gædd.* Ne causae continentia divideretur tum in jure civili *d. l. 10. l. 3. C. d. jud. l. 1. C. d. off. rect. provin. l. 1. & 3. C. d. ord. jud. l. ordin. C. d. rei vind. tum jure Canonico c. 1. extr. d. sequestr. c. pen. extr. d. rest. in integr. c. de prudent.*

dent. extr. d. donat. int. vir. & ux. cautum est. Nam quoniam reip. inter est, ut lites abbrevientur, ne tribunalia onerentur variis processibus, nec partes superfluis laboribus & expensis fatigentur, saluberrime constitutum est, ne *causae continentēs* dividantur, sed uno eodemque iudicio determinantur. *d. l. 10. l. 5. C. d. arb. tut. & si quis earum divulsionem tentaverit in eum poena constituta est in d. l. 10. C. d. jud. c. ex tenore & c. f. extr. de rescript.* Verum quo ad istam poenam moribus nostris id immutatum est, ut hodie actoris arbitrio relinquatur an causas continentēs jungere, an v. dividere velit, nisi reus exceptionem continentiae ante litis contestationem opponat. *Myns. 1. obs. 97. Gail. 1. obs. 32. n. 13.*

LII. Continentia causae variis modis accidere potest, de quibus late *Mind. d. process. extrab. tot. lib. 3.* quo ad fori competentiam tribus potissimum modis ea contingit. 1. ob aliquod praedictum interveniens sine cuius cognitione causa principalis cognosci nequeat. 2. propter faciliorem & cognatam facti jurisque cognitionem. 3. propter generalitatem actionis & causae. *Dn. Frantzk. ad t. d. jud. n. 55. Gail. d. l.*

LIII. Primum modum quod attinet ille contingit, quoties aliqua quaestio in motam controversiam incidit, per quod iudicium principale possit impediri, aut nullum reddi, aut exceptione rei iudicatae tolli. Ejus generis sunt quaestiones status, quae excipiendo moventur illi, qui ab intestato hereditatem petit, vel tanquam filius vel filia alimenta vel dotem petit, quoniam enim nec servus, nec spurius vel spuria talia recte petit *l. 6. π. d. bis qui sui iur. l. 3. C. d. jud. l. 1. C. d. Ord. jud.* his & similib. casib. antequam de causa principali plene cognosci & ea determinari possit, necesse est, ut prius istae incidentes causae decidentur. Et licet jure civili super quaestionib. status cognitio tantum pertineat ad iudices majores *l. 32. §. de lib. π. d. recept.* propter continentiam tamen causae minores iudices de istis causis incidentib. simul cum causa principali recte cognoscunt. *d. l. 3. & 10. C. d. jud. l. 1. C. d. ord. jud.* multa enim per consequentiam fieri permittuntur, quae principaliter fieri prohibentur. *l. quesiunt π. d. in jus voc. l. si unus §. illud d. pact.* Hinc est quod jure can. cautum est, ne in-

videns causa, quæ ad forum seculare principaliter spectet, à judice Ecclesiastico remittatur. *c. lator. extr. qui fit. leg. sint. c. si judex. d. sent. excom in 6.* quod autem idem jus sub pœna excommunicationis prohibeat, ne secularis judex de causa Ecclesiastica seu spirituali in judicium seculare incidenti cognoscat, id vergit in injuriam secularium potestatum *vid. Gædd. ad c. 1. X. de sequestr. n. 38. usq; ad 52.* ubi perstringit vehementer Mynsingerum, qui *1. obs. 100.* aliquot præjudiciis probat in Camera quæstiones incidentes Ecclesiasticas remitti ad judicem Ecclesiasticum.

LIV. Secundus modus continentia causæ accidit, quando alterum judicium alteri ita cohæret, ut illud præparet vel explicet atq; liquidum reddat. Sic cum judicium possessorium sit petitorii præparatorium *l. 1. §. f. π. d. aq. quart.* utrumq; judicium coram eodem judice propter connexitatem causæ instituendum est. *per text. in l. 10. C. d. jud.* judex enim qui de possessione cognovit, de petitorio facilius judicare poterit, quàm judex alius. *vid. Gail. 1. obs. 32. n. 11. Menoch. d. arbit. jud. l. 2. c. 371. n. 3. § 7.*

LV. Tertio continentia causæ contingit ob generalitatem actionis vel causæ. Ob ~~causæ generalitatem~~ nemo dimidium debiti in uno loco, in alio alterum dimidium petere potest, sed in uno eodemq; judicio totum petere tenetur. *Menoch. d. l. § ibi allegati.* Propter generalitatem actionis duæ pluresve personæ ex eadem causa obligatæ nõ disjunctim in diversis judiciis, sed conjunctim in uno eodemq; judicio simul conveniri debent *d. l. 10. C. d. jud. l. 1. § 2. d. quib. reb. ad eund. jud.* Idem est si ex actione reali res diversæ veniant petendæ, omnes simul in uno eodemq; judicio petendæ sunt, ne causæ continentia dividatur. *d. l. 10. junct. l. 2. d. fin. reg. Menoch. d. l.* Atque ita continentiam causæ, quæ ob generalitatem actionis accidit, intellexerunt omnes juris Interpretes, qui ante Mynsingerum scripserunt. Tempore autem Mynsingeri Dd. eam extendere conati sunt eousq; ut si plures ejusdem litis consortes diversis jurisdictionibus subjecti conveniendi sint, apud judicem proximum & omnium superiorem adversus omnes conjunctim sit actio instituenda. Hac ratione duorū Imperii Statuum subditi correi conveniendi sunt in camera Imperiali, tanquã corã judice proximè superiori &

ri & omnib. correis communi, cujus rei præjudicia vid. ap. *Myns.*
1. obs. 7. Mind. d. proces. exec. l. 1. c. 18. n. 8. Meland. in præjud. cam.
p. 69. & seqq. Cothm. 1. conf. 32. n. 28. Quoniam autem Laici &
Clerici juxta dispositionem juris canon. communem judicem
non habent, in casu quo Laicus & Clericus correi sunt etiam
morib. nostris causæ connexitas rectè dividitur, ut coram magi-
stratu Ecclesiastico Clericus, & coram seculari Laicus convenia-
tur. *Gail. d. pac. pub. c. 6. n. 18. Mindan. d. l. Ejusmodi extensione*
cōtinentiæ causæ etiã in actione reali, qua plures res sub diversis
jurisdictionibus sitæ petendæ sunt, excogitarunt, ut sc. præteritis
judicibus ordinariis proximum superiorem actor adiret; & testa-
tur Vultejus ad l. 4. C. d. jurisd. n. 27. quod ex hoc capite de cau-
sis in prima instantia ad Camera Imp. aliàs non pertinentibus
in Camera quotidie impetrentur processus inferioribus judicib.
præteritis. conf. Mindan. d. process. l. 3. c. 3. per tot. Obreët. d. jurisd.
l. 3. c. 15 n. 20. Carpz 2. Resp. 19. per tot. Hæ Dd. extensiones in usu fori
firmæ & ratæ sunt, Dn. Frantz. 1. resol. 18. n. 25. Carpz. d. l. & cū quæ
moris & cōsuetudinis sunt, maximè observari debeant, præser-
tim ut valeat actus & judiciū subsistat l. 1. §. f. d. vent. inspic. l. 50.
§. f. d. leg. 1. l. 3. §. f. d. test. l. 31. §. quia assidua. d. edil. edict. ab iis
temere non est discedendū. Cū a. actio personalis contra plures
correos ejusdem litis, diversis jurisdictionibus subjectos satis
commodè in foro contractus, vel delicti, & actio realis de diver-
sis rebus in diversis territoriis sitis in foro domicilii Rei institui
possit, non immerito dubitari potest, an istæ extensiones Dd. ju-
ri nostro, quo non nisi gradatim superior judex aditur, l. 21. π.
d. appell. N. 17. §. 3. in f. Ordin. Cam. p. 2. t. 1. §. es sol auch. consen-
tanea sit. Conf. Paurmeist. d. jurisd. l. 2. c. 4. n. III. Ulmm. d. proces.
jud. disp. 4. tb. 4. n. 19. & 20.

LVI. Haftenus de foro quod Reus sortitur ex jure com-
muni. Ordo nos deducit ad forum singulare, quod quibusdam
tantum personis & causis jure speciali competens est. Primò
ejusmodi forum habent personæ, quæ eminenti aliqua dignita-
te in Imperio nostro coruscant. qualis est IMPERATOR CUM
STATIBUS IMP. Personis enim eminentioribus in omni Rep.
multa singularia jura semper competunt, inter quæ etiam sunt

ea, quæ illarum forum spectant. Sicut autem dignitates in rep. sunt diversæ, ita earum ratione fora quæ competunt, diversa sunt. Summam dignitatem in nostra Rep. IMPERATOR obtinet. Veteres quidem Imperatores Rom. quum absolutam haberent potestatem, à nemine judicari poterant, ideoq; propriè loquendo nullum forum sortiebantur. Unde Tiberius & Antoninus Imp. in propria causa sibi ipsis jus dixerunt §. ult. *inst. d. vulg. substit. l. 41. w. de hered. instit. l. pen. d. bis qui in test. del.* utpote planè exempti ab omni jurisdictione *arg. l. princeps. 31. d. legib.* Restaurato v. à Carolo Magno Imperio Rom. in Occidente, paulatim consuetudine eò deventum est, ut ipse Imperator conveniri posset coram Comite Palatino, de qua consuetudine Carolus IV. Imp. in Aur. Bull. t. 5. §. f. ita loquitur: *Imperator sive Rex Rom. super causis pro quibus impetitus fuerit, habeat sicut ex consuetudine introductum dicitur, coram Palatino Rheni respondere.* Vero simile est Imperatores primùm sponte & voluntarie se subiecisse iudicio Comitum palatii sui. *Hujus enim ut ait Hincmarus c. 21. inter cetera penè innumerabilia in hoc maxime sollicitudo erat, ut omnes contentiones legales, quæ alibi ortæ propter æquitates iudicium Palatium aggrediebantur, juste & rationaliter determinaret, ut & coram DEO propter justitiam & coram hominibus propter legum observantiam cunctis placeret.* Postquam id autem forte ex crebro usu in consuetudinem abiit, & successu temporis ad necessitatem juris id pertrahere voluerunt principes Imp. cui tamen Imperatores plerumq; resistere, ut ex historia (quam recenset Rebdoff in annal. ad an. 1300.) Alberti Imp. ab Electoribus Ecclesiasticis conventi, constat. Tandem à Carolo IV. in Aur. Bull. ista consuetudo est confirmata, & jus perpetuum factum est. Illud autem iudicium contra Cæsarem ne alibi instituat, quam in aula Cæsarea, ubi Imperator præsens, cautum est in d. t. 5. §. f.

LVII. Verum hoc forum competens tantum esse volunt *Ad.* si Imperator ut talis à statibus Imperii conveniatur de causis civilibus; Sin autem male administrati Imperii arguatur, cognitionem ejus rei omnium Electorum esse pleriq; dicunt. *vid. Burxtorff. ad Aur. Bull. Aruma ad eandem disc. 3. th. 35. Carpz ad Leg.*

Leg. Reg. c. f. n. 21. Sanè in exauctoratione Wenceslai & Adolphi Imp. in comitiis Electorum rem agitatum fuisse testatur Aventinus *l. 7. annal.* an autem Palatinus ibi sententiam dixerit vix sciri potest. vide tamen Marq. Freher. *in not. ad Pet. d. Andlo l. 2. d. Imp. Rom. c. 10.* Quod si Imperator ab alio quam à statu imperii de causis pecuniariis conveniendus sit, ne majestas Cæsarea prostituatur contra ejus fiscalem coram ejus consiliariis actionem instituendam docet Hering. *d. fidejus. c. 7. n. 288.* ubi addit ita in praxi observari. Potest etiam Imperator conveniri ut Archidux Austriae, quo casu idem forum sortitur, quod quivis alius princeps imperii, cujus rei præjudicia in Carolo V. multa extant apud Christoph. Bart. *in sent. Cam. t. 2. d. an. 1535. & tom. 3. d. an. 1554.* quo facit vulgatum illud exemplum, quod ille sibi ipsi mandavit his verbis: *Wir Carl Römischer Kaysar etc. entbieten dir Carl Erzhertzogen in Osterreich Clapmar. in arcan. rerump. Burxt. ad aur. bull. Diversæ enim qualitates in eadem persona diversos operantur effectus & faciunt ut una persona habeatur pro diversis Gail. d. Arrestis c. 6. n. 14.*

LVIII. Imperatorem tempore Justiniani proximè sequebatur senatorum triplex ordo. nimirum Illustrium, Spectabiliū & Clarissimorum t. t. C. Ubi senat. & Clariss. Hos ordines à Constantino Mag. introductos verè existimat *Vult. ad d. t. n. 12.* nam quod ab Ulpiano *in l. f. w. d. senat.* fit mentio Illustrium, id à manu Triboniani esse docet Cujacius *in l. f. w. d. senat.* Hosce ordines à foro communi seu ordinario exemptos fuisse constat ex *t. C. Ubi Senat.* Nostri imperii Senatus etiam est in tres ordines distinctus *vid. Reink Limna. In Primò sunt Electores Duces & Principes tum seculares tum Ecclesiastici, ac Ducali dignitate, Illustres, die Churfürsten Fürsten und Fürstmessige. In Secundo ordine sunt Prælati, Comites, Barones, & Nobiles Imperii, qui tamen posteriores sessionem in comitiis hodiè non habent,* ideoq; ad senatum Imperii hodiè referendi non sunt. In ordine tertio sunt Civitates Imperiales. Ex Ordinatione Camerae Imp. omnes illi, exceptis istis Civitatibus, habent suos judices Austregarum der Austräge (quos Mindanus Gail. & alii etiam judices Ordinationis appellant) coram quibus in prima instantia conveniendi sunt, *d. Ord. Cam. p. 2. t. 234.*

LIX.

LIX. Ejusmodi Austregæ in duplici sunt differentia, vel sunt Conventionales vel Legales. Has posteriores à Maximiliano I. constitutas esse constat ex Ord. Cam. de an. 1495. Conventionales autem multo antiquiores esse nos edocet *d. Ord. ib.* Welche sonderliche Gewilckurte gerechtliche Aufträge gegen einander haben / deren sollen sie sich gegen einander gebrauchen / welche aber dieselben nicht haben / dieselben sollen. &c. D. Herm. Conringius Vir undequaq; Clarissimus & Germanicarum rerum peritissimus originem Austregarum conventionalium refert in longum illud Interregnum seculi XIII. & ultimos annos Frederici II. *diff. d. jud. Reip. Germ. tb 53.* Nam omni illo tempore nulla Aula Cæsarea, nullum Imperii judicium erat, ubi immediatè Imperio subjecti conveniri possent; Sed & post illud interregnum usq; ad Maximilianum I. ea fuit Cæsarum imbecillitas, ut vix suas sententias executioni mandare potuerint; sæpe etiam satis diu Cæsarea dignitas penes quem esset incertum fuit. Verosimile igitur est in isto statu turbulento principes, comites, Nobiles & multas civitates imperii arbitraria ista judicia sibi constituisse, ut absq; tumultu quisq; jus suum obtinere potuerit, qua de re multa præclara etiam habet Julius Phlug Episc. Naumb. in eleganti sua oratione *d. Imp. constit.*

LX. Ex dicta Ordinatione Cam. d. an. 1495. constat multos Principes & Status Imp. habuisse tempore Maximiliani Austregas conventionales, easque approbatas esse eadem Ordinatio docet; qui autem illi sint, qui hodie ejusmodi Austregis utuntur juris publici Consulti silentio prætereunt. Testantur tamen quod quædam civitates Imp. ut Noriberga, Augusta Vindelicorum, Ratisbona, Argentoratum, Memminga & multæ aliæ in superioris Germaniæ partibus sitæ suas Austregas habeant, quas omnes puto esse non Legales sed conventionales, quum in Ordin. Cam. d. an. 1555. Civitatibus Imp. concessæ nõ sint. Austregas Legales ex Ord. Cam. habent tantum status Imperii primi & secundi Ordinis supra memorati. Constituitur autem hoc Austregarum judicium diversimodè pro diversorum statuum conditione & dignitate. Status Imp. primi Ordinis quales sunt Electores principes &c. si à se mutuo invicem conveni-
antur,

anteur, actor Reo mittet libellum actionis sibi competentis, si-
mulq; ipsum requirit, ut iudicio atq; juri se sistat: mit ansuch
ihm darumb Recht zuverpflegen. Requisite intra spacium qua-
tuor septimanarum à die requisitionis computandum actori no-
minare debet quatuor Principes regnantes, vier regierende Für-
sten/ eosq; partim seculares partim Ecclesiasticos, non tamen ex
una familia natos. Ex his actor intra quatuor septimanas unum
pro iudice sibi eliget, qui illud officium iudicis intra 14. dies su-
scipiet etiam invitus, nisi causas habeat gravissimas, quæ ipsum
excusent. Princeps electus illud iudicium in suo territorio ad-
hibitis consiliariis neutri parti suspectis exercere & causam sua
sententia dijudicare debet. d. Ord. p. 2. t. 2. Utriq; tamen tum
actori tum Reo appellatio ad Cameram Imp. permessa est. Ord.
Cam. d. l. Quod si autem Princeps requisitus intra dictum tempo-
ris spacium istam nominationem non faciat, juri Austregarum
renunciasse censetur & actorem in Camera convenire potest.
d. Ord. Cam. p. 2. t. 2. § 26. & p. 4. §. 2. in fin.

LXI. Quod si aliquis primi Ordinis ab aliquo eorum, v
qui sunt in Ordine secundo vel tertio, sit conveniendus, octo
modis iudicium Austregarum institui potest, ex quibus actor
unum eliget, quem conventus præcisè admittere tenetur d. Ord. n
p. 2. t. 4. §. pen. Quoniam autem isti octo modi in d. Ord. satis
planè descripti sunt, operæ pretium non est eos hic recensere.
hoc tamen in illis observandum videtur, quod omnes actori æ-
què non conducant; nam primus & secundus à parte actoris
valdè periculosi sunt, septimus & octavus aliquantò illis duobus
sunt meliores. Cum autem in actoris arbitrio positum sit ex
octo illis modis unum eligere d. t. 4. ipsi curæ erit, ut eligat sibi
commodiorem. Inde esse puto quod Christoph. Schwann. l. 1.
process. Cam. c. 3. n. 8. scribit ex præfatis octo modis tantum ter-
tium & quartum in praxi observari; sunt enim isti cæteris actori
multò commodiores.

LXII. Qualiter Prælati, Comites, Barones & Nobiles
Imp. qui omnes sunt ordinis secundi, coram Austregis conveni-
endi sunt, definitum est in d. Ord. p. 2. t. 3. § 5. & distinguitur: aut
sunt conveniendi à se mutuo invicem, aut ab aliis qui sunt primi

F

Ordi-

Ordinis. In utroq; casu duplex Austregas adhibendi & postulandi modus constitutus est. *in d. t. 3. & 5.* Quoniam autem de casu, quo aliquis ex ordine secundo à civitate aliqua Imperiali convenitur, ibi nihil dispositum reperitur, relictus dispositioni juris communis videtur, ut nimirum in civitates Imp. personas ordinis secundi in prima instantia conveniant in Camera Imp. quod multis præjudiciis confirmat *Mindan. d. process. extr. l. 1. c. 18. n. 3. & seq.* Idem juris est si quis ex ordine secundo in jus vocandus sit ab aliquo mediatè Imperio subiecto, sive ejus subditus sive non subditus sit, *Minsf. 5. obs. 1. Gail. 1. obs. 1. n. 48.* Quod secus est si aliquis mediatas (etiam si subditus fuerit) aliquem ex primo ordine convenire velit, tum id facere tenetur coram Austregis *per text. in d. Ord. t. t. 4. §. fin. add. Gail. & Minsf. d. l.* Ipsi autem status Imperii suos subditos non coram suis Cancellariis, sed in Camera Imperiali conveniunt. *Myns. 5. obs. 1. & ita à Cameralibus decisum esse testatur Additionator Hart. 1. obs. 1. n. 7. conf. Umm. d. process. jud. disp. 11. tb. 9. n. 48.* Civitates autem Imperiales licet status Imp. sint, jus tamen Austregarum non habent. quapropter quam primum in Camera Imp. respondere tenentur à quocunq; etiam conveniantur. *arg. l. 27. p. 2. Ord. Cam. Gail. d. l. n. 20.* nisi per præscriptionem illud Austregarum jus sibi acquisiverint, quales sunt illæ, quarum mentionem supra fecimus. Cum hic agamus de personis, quibus Austr. jus competit, observandum est jus Austregarum personis, non territorio adherere *Mind. l. 1. c. 19. n. 13.* quare etsi principes Comites & Nobiles Imperii territorium non possideant, nihilominus illis jus Austregarum competit. *Mindan. d. l.* Hoc tamen non est extendendum ad casum, quo Capitulum alicujus Ecclesiæ, in quo multi Comites Barones & Nobiles Imp. sunt, capitulariter seu collegialiter est conveniendum, per ea quæ habet *Magenborst. in Ord. Cam. p. 2. t. 5. pr. & Schvvanm. obs. Cam. 19.* ubi uterque testatur id ita usu observari.

LXIII. Quanquam Imperii status primi & secundi Ordinis eo quo dixim⁹ modo coram suis Austregis cōveniendi sint, sæpè tamen accidit, ut in prima instantia in Camera imp. respondere teneantur. Nam si plures jus Austregarum habentes ejusdem

dem litis consortes conveniantur, nec de certo iudice partes convenire possint, ad *Cameram* non obstante *Austregarum* jure omnes simul evocari possunt *Deputat. Recess. d. anno 1600. §. Bey unserm. & hoc ab causæ continentiam, de qua supra dictum est. Idem evenit si aliquis primi vel secundi ordinis cum suis subditis vel aliis non subditis & mediatè imperio subjectis ex una causa principaliter sint cõveniendi d. Recess. §. gleicher massen. quod & multis præjudiciis confirmat Mindan. d. process. extr. l. 1. c. 16. n. 8. & Myns. l. obs. 4. Sunt etiam alii multi casus in quibus non attento *Austregarum* jure *Camera Imp.* rectâ aditur, quorum multos recenset *Mind. l. 1. c. 20. & Gail. l. 1. obs. 1.* plures limitando & declarando proponit *Ziegler in comm. conclus. §. Austrega. concl. 1.**

LXIV. An autem causæ criminales ad iudicium *Austregarum* pertineat, quæstio est altioris indaginis. Equidem ante *Ordinationem Cam.* ejusmodi causæ principum partim ad comitia Imperii partim ad solum Imperatorem deferebantur. In comitiis accusabantur principes & comites *Imp.* ob crimen læsæ majestatis læsiq; Imperii. Sic circa annum 1040. iudicio principum proscriptus est *Conradus Bavarix Dux, Herm. Contract. in Chron. ad an. 1052, Henricum Lotharingum, Henricum Leonem Bavarum & alios principes Imp. accusatos læsæ majestatis in comitiis Regni legimus apud Avent. l. 7. annal.* Causas autem criminales, quæ Imperium non concernebant, ut sunt causæ homicidii, adulterii &c. ad cognitionem solius Cæsaris pertinuisse ex multis antiquis Cæsarium constitutionibus colligitur. Apud *Goldastum p. 2. Reichsagung. in Friderici II. constitutione* leguntur hæc verba: Dasß der Hoffrichter sol die Leute richten die ihme klagen von allen Leuten/ohne Fürsten und andere hohe Leute/wo es gehet an ihrem Leibe oder an ihr Recht/oder an ihr Erbe oder an ihre Ehre/das wollen wir selber richten / Fere eadem leguntur in cõstitutione *Alberti I, & in responsione Friderici II. ad Henricum Bavarix Ducem.* Hæc ita se habuerunt ante *Ordinationem Cam.* Sed postquam hæc Imperatoris & Ordinum *Imp.* consensu instituta est, & ita tam Imperator quam Ordines in illam consenserunt, videtur jus pristinum non tantum quoad causas civiles, sed etiam criminales, sc. statum reip. non concer-

nentes, aliquanto immutatum, & vigore d. ordinationis Au-
 stregis de iis potestas judicandi attributa. Nam in t. 4. p. 2. d.
 Ord. habentur hæc verba: So Prælaten/ Graffen/ die von Adel
 oder Städte einen Churfürsten/ Fürsten und Fürstmessigen geist-
 lich oder weltlich mit Recht wolte beklagen NB. warumb oder Br-
 sachen das were etc. Cum hic textus generaliter loquatur procul
 dubio generaliter de omnibus causis cum civilibus tum crimi-
 nalibus est intelligendus arg. l. de pretio 8. d. public. l. f. C. d. hered.
 vel act. vend. generalis enim dispositio tantum operatur in spe-
 ciebus, quantum specialis expressio singulorum. arg. l. Julian. π.
 d. leg. 3. l. 1. §. cum urbem. d. off. præfekt. & dicta verba, warumb
 oder was Brsache das were/ sunt geminata quæ simplicibus sem-
 per esse fortiora & vim clausulæ derogatoriæ habere consulendo
 respondit Wes. conf. 4. n. 30. ubi id multis textibus & authoritati-
 bus confirmat. Et huic nostræ sententiæ non parum suffragatur
 §. darauff 1. 2. & t. 21. p. 2. d. Ord. Cam. An autem hoc usu obser-
 vetur, id peritioribus dijudicandū relinquo: sane Dn. Limnæus,
 qui consuetudinum & jurium statum Imp. concernentium valde
 peritus est, istam sententiam amplecti & argumentis defendere
 non veretur. l. 1. de jur. publ. 5. n. 63. Quod quidam dicunt judi-
 cia Austregarum in desuetudinem abiisse, verosimile non est,
 quicquid autem sit, novissime in Pacificatione Osnabrugensi il-
 la confirmata sunt art. 5. §. 20. vers. cetera.

LXV. Atque ita status imperii primi & secundi ordinis
 regulariter conveniuntur coram Austregis, nisi isti foro singulari
 renunciarint; tunc enim statim in Camera Imperiali forū sorti-
 untur Gail. 1. obs. 1. quâ cautelâ sæpius creditores eorum in literis
 obligatoriis uti notat Schvvanm. d. process. Cam. l. 1. c. 6. n. 1. Matth.
 Steph. d. jurisd. l. 2. p. 1. c. 3. n. 6. Verum in comitiis illi & eorum
 legati coram Marechallo hereditario in prima instantia sunt
 conveniendi, si credere velimus Bertram d. Comit. Imp. Rom Germ.
 membr. 5. concl. 60. ubi addit quod is mandato Archimarechalli
 Electoris Sax. in status Imp. Legatosq; eorum in comitiis habeat
 jurisdictionem. Vid. Paurmeist. d. jurisd. l. 2. c. 4. n. 121. ubi non-
 nihil dissentit conf. Arumæ. tr. de Comit. c. 6. n. 59. & seqq.

LXVI. Præter status imperii sunt & aliæ personæ, quæ
 suum forum singulare habent, quales sunt, L. Aulici Imperato-
 ris,

ris, qui omnes coram Mareschallo Aulico in prima instantia
conveniendi sunt, teste quottidiana experientia. II. Legati & alii
qui negotiorum suorum causa in Aula Cæsaris commorantur, in
iudicio Aulico forum sortiuntur. *Paurmeist. d. jurisd. l. 2. c. 4.*
III. Qui in Camera Imperiali operas suas præstant, ut Assessores
Advocati, procuratores, omnes etiam qui praxeos addiscendæ
causa eò veniunt, & in album Camerae relati sunt, item omnes
solicitatores & partes litigantes, si modo immatriculati fuerint,
in Camera Imp. forum sortiuntur *Ord. Cam. p. 1. t. 49 pr. N. N.*
d. an. 1563 in pr. & d. an. 1566. §. wir setzen und etc. Danais in jur.
Cam. t. 22. Etiam in causis criminalibus *Thom. Mich. d. jurisd.*
concl. 75. inf. Reink. d. reg. secul. l. 2. Cl. 2. c. 16. Quod si tamen de-
lictum mereatur pœnam corpori infligendam, Magistratus civi-
tatis Spirensis sententiam Camerae executioni mandat. *Reink. d.*
l. conf. Myns. §. obs. 52. IV. Consilarii & Aulici principum & co-
mitum Imp. generali Germaniæ consuetudine à jurisdictione
iudicum inferiorum sunt exempti, ut non nisi coram suis domi-
nis conveniri possint. *Heig. p. 2. q. 25. n. 13. & seq.* V. Studiosi non
nisi coram Episcopo vel Rectore Academiae conveniri possunt.
auth. Habita C. Ne fil pro pat. conf. Magnif. Dn. Richter. in colleg.
pub. ad d. auth. disp. §. Matth. Steph. d. jurisd. l. 1. p. 2. c. 9. V. Mi-
lites suos etiam peculiare iudices habent, *l. 1. & 2. C. d. off. mag.*
mil. die Reuter Bestallung d. an. 1570. sub rubric. wie das Reuter
Recht sol gehalten werden. & rubric. Articul auff die Deutsche
Knechte. add. Colleg. Argent. t. d. remil. n. 13. & seq. Vult. ad l. un.
C. in quib. caus. milit. for. prescript.

LXVII. Superfunt *causæ*, quæ speciales iudices habent,
& propterea quoque singulare forum constituunt. Illæ sunt vel
allodiales vel feudales. Allodiales vel ad solius Cæsaris cognitio-
nem spectant, vel ad Camera Imperialem. Prioris generis sunt
I. Causæ fiscales Ducatus, territoria, oppida & arces concer-
nentes; quæ in Camera absq; consensu Cæsaris non sunt venti-
landæ. *Ord. Cam. p. 1. t. 16. §. darzu ob sich. Roding pand. Cam. l.*
t. 3. & 8. II. Causæ Sessionum in Comitibus Imp. *N. N. d. a. 570.*
§. damit nun dieser III. Absolutio à Banno Imp. *Ord. Cam. p. 2.*
t. 18. §. so auch. multas alias causas, quæ ad solius Cæsaris co-
gnitionem, pertinent recenset *Paurm. d. jurisd. l. 2. c. 4. n. 114. &*

c. 6. n. 217. *Roding. in pandect. Cam. l. 1. t. 3.* Causæ quæ ad Camera spectant sunt causæ fiscales *Ord. Cam. p. 2. t. 20.* violatio pacis religiosæ & profanæ, & quicquid publicæ pacis legibus prohibitum est, recta Camera jurisdictioni subicitur. *Ord. p. 2. t. 11. & seqq. Mind. d. process. extrab. c. 22. & seqq. Gail. d. pac. pub* item causa violati privilegii Cæsarei, si nimirum agatur ad exigendas poenas privilegio insertas. *Gail. 1. obs. 1. n. 7.* Multæ aliæ ejusmodi causæ leguntur apud *Gail. 1. obs. 1. Danais. d. jur. Cam. t. 163. Roding. Pandect. Cam. l. 1. t. 5. & seq.* Notandum (quod supra dicere debebamus) etiam causas artificum & negotiatorum ad artem & negotiationem pertinentes apud Præfectos collegiorum der *Gilden und Zunften* ventilandas & dirimendas esse. *text. in l. 7. C. d. jurisd. & ib. Vult add. Reform. Polit. d. an. 1548. sub rubric. von den Handwercks Söhnen & S. dieweil in dem. in fin.*

LXVIII. Causæ feudales etiam suum singulare forum habent, quod *Dd. FF. Curiam feudalem* appellare amant. *vid. Afflict. in 2. F. 46. n. 10. Mart. de Coratis Laudens. in Lectur. sup. c. 46. 2. F. n. 1. Alvarott. in §. si inter duos n. 5. d. Lege Conradi.* qui istam Curiam quadruplicem faciunt, nim. Curiam Domini, Curiam Parium omnium complexivè, Curia Parium Electorum, & Curiam judicis ordinarii; Ut autem rectè intelligeretur natura Curia seu Fori feudalis, operæ pretium esset de Feudorum naturâ & origine aliquid præfari, verum cum totam istam rem novissimè *Excell. Dn. Præses* meus præ aliis omnibus egregiè & insigniter tractarit in suâ *Exercitatione feudali primâ*, eò me brevitatis causa remitto. *Curia Domini* forum competens est, si inter convasallos ejusdem Curtis de re feudali disceptetur *c. imperial. §. prat. 2. F. 55.* quod adeo verum est, ut nulla exceptione hæc Curia evitari possit. *d. c.* quod de natura feudi esse dicit *Mozzius d. natur. feud. n. 111.* nam eo ipso quo quis feudum à Domino acceptat, videtur sese submittere ejus jurisdictioni. *arg. l. 14. d. jurisd.* Unde nihil refert, an Dominus suo Vasallo judicando dignitate major vel minor sit. *1. F. 26. Myns. 4. obs. 89.* Quare etsi Clerici ab omni jurisdictione seculari jure divino se exemptos dicant *c. 13. ext. d. for. comp.* tamen ut feudorum participes esse possint, admittunt ratione feudi in Curia Domini se conveniri, nec

nec præscriptione id forum declinant. *text. in c. verum. tex. d. for. comp. & c. incipit caterum ext. d. jud.*

LXIX. Omni dubio caret, quod de jure feudali Imperator solus competens iudex sit, si inter Capitaneos Regni, quales sunt Duces, Marchiones, Comites, &c. de feudo controversia exoriat. *l. F. 18. 2. F. 34. in pr.* Verum an id etiam locum habeat, si inter principes Imperii nostri de feudis Regalibus contentio sit, publicè hinc inde emissis scriptis latissimè discussum, & agitatum est. Equidem vix negari potest, quod secundum antiquam Germaniæ consuetudinem non à solo Imperatore, sed simul à Proceribus regni in Comitibus ejusmodi controversiæ dijudicatæ sint, per ea quæ habet author discursus sub tit. *Kurzer und gründlicher Bericht / ob die Römischen Käyser in des H. Röm. Reich Lehnsachen allein richten können.* *add. Engelbr. d. jurisd. Imp. concl. 117. Besold. d. jurisd. Imp. c. 13.* Ast Matthias Imp. de omnibus Imperii feudis tam Regalibus quam non-Regalibus cognitionem ad iudicium Aulicum Imp. pertraxit, & constituit, daß im Reichs-Hoffraht sollen alle und jede Sachen / das Käyserthum / das H. Reich / derselben Hoheit / Herrlig- und Gerechtigkeiten / Pfandschafft / Lösung / Regalien / Hohe und Niederlehn / so viel solche die justice betreffen / angenommen / gerechtfertiget und darüber uhrkundet und die Noturfft expediret werden sol. *Ord. nov. jud. aul. art. 2.* Quidam volunt id ante Matthiam Imp. constitutum fuisse *in Ord. Cam. p. 2. t. 7.* sed ad illum textum non inconcinnè respondet author *d. discurs. add. Limn. d. jur. publ. l. 2. c. 9. n. 60. Conf. Dn. Cass. Klock. 1. conf. 7.*

LXX. *Curia Parium*, quæ in jure feudali Laudamentum Parium dicitur *l. F. 21.* forum competens est, quando controversia feudalis inter Dominum & ejus Vasallum oritur *2. F. 55.* Dominus quidem videtur propriè Ordinarius iudex in causis feudalibus. Verum quoniam *nemo ferè est qui sui periculi iudex non sibi se æquiores quam reo præbeat*, ut ait Cic. *in Orat. pro Dejot. & quisq; naturâ plus sibi quam alteri faveat*, jure feudali saluberrimè introductum est ne Dominus feudi sibi ipsi jus dicat, sed ut Pares Curia, cujuscunq; conditionis sint, controversiam, quæ inter eum & Vasallum est, sua sententia dirimant. *l. F. 26. 2. F. 55. & passim alibi.* Si de causis feudalibus ipse Imperator à Vasallo con-

veni-

veniendus sit, cognitio non ad Electorem Palatinum (ut vult Sixtinus in tr. d. Regal.) sed ad Pares Curiae spectat. 1. F. 2. F. 55. Et ipse Fridericus Imp. Parium iudicio in ejusmodi controversiis se subiecit in *S. sententiae Const. d. pac. Constanti*. Quae constitutiones cum Aurea Bulla, qua de iudicio Palatini cautum est, sint antiquiores & speciales, iis non potest derogari per illam legem Carolinam generalem *arg. l. 80. d. R. Jur. l. 28. d. legib. l. 3. C. d. silent. conf. Burxtorff. discurs. ad Aur. Bull. cent. 81*. Hinc Carolus V. ob Geldriam a Guilhelmo principe Cliveni occupatam in Comitibus Ratisbon. libellum, quo jus sibi in eam provinciam competens deduxerat, proceribus Imp. exhibuit teste Sleidano *l. 14. d. stat. Reip. & Relig.* Porro ad Parium Curiam etiam pertinent quaestiones feudales, quae sunt inter duos convasallos, quorum alteruter vel uterque est vasallus Assertus i. e. qui aliud feudum extra id, de quo lis est, a Domino curiae non habet. 2. F. 20. 39. & 46. *Zaf. in epit. feud p. 11. n. 8. Schrad. d. feud p. 10. s. 7. n. 48* ne Dominus in propria causa iudicare videatur. nec resistit 2. F. 15. nec 1. F. 34. nam isti textus intelligendi de casu si nulli alii vasalli existant, tunc enim demum iudex Ordinarius aditur. Quando itaque Curia Parium forum competens est, omnes ejusdem Curiae Vasalli regulariter simul sunt istius causae iudices 2. F. 16. 2. F. 39. *Vult. d. feud. l. 2. c. 2. n. 28.* nisi Dominus & Vasallus litigantes ex omnibus quosdam eligant, vid. *Schrad. p. 10 sect. 8. n. 9. 1. Goth. Anton. disp. 14. tb. 3. in pr.* ubi eleganter ut solet, ostendit quomodo & quando ista electio Parium ab utraque parte fieri debeat; Et ita electis quibusdam Paribus, in Curia Electorum causa dijudicanda est.

LXXI. Quartam Curiam in causis feudalibus diximus esse iudicis Ordinarii, quae forum competens est I. quoties Dominus nullos alios in illa Curie Vasallos habet. 2. F. 15. & 16. ne Dominus in propria causa iudex sit. *arg. l. un. C. ne quis in sua causa*. II. Si Pares Curiae alios iudices futuri in illa controversia producendi sint testes, nam facilius est invenire iudicem quam testem. *c. in sinuante ext. d. off. jud. deleg. Myns. 6 obs. 19. Vult. d. l. n. 40.* III. Si consuetudine sit introductum, ut Ordinarius iudex de causis feudalibus cognoscendi & iudicandi facultatem habeat, de quali consuetudine ducatus Mediolanensis testatur.

Boss.

Boss. d. process. jud. t. d. for. comp. n. 174. Inter Electorem Moguntinum & ejus Vasallum de consuetudine cognoscit curia provincialis Moguntinensis. *Vult. d. feud. l. 2. c. 2. n. 41. IV.* Quando de re feudali agitur non tamen agitur ex lege feudali i. e. de feudi constitutione, conservatione vel privatione, sed de ejus possessione, fructibus &c. apud judicem Ordinarium forum competens est. *Dn. Carpz. 6. Resp. 115. n. 3. Myns. 1. obs. 99. Vult. d. l. n. 45.*

LXXII. Ex his, quæ hæcenus dicta sunt, apparet, quibus modis in prima instantia Reus sortiatur forum, tum jure communi tum singulari. Verum quoniam sæpè fit, ut judices primæ instantiæ iniquas dent sententias, quod vel gratiâ vel odio vel sordibus corrupti, vel imperitia & errore juris lapsi sint, ad superiora judicia mediante appellatione causæ devolvi possunt, donec gradatim tandem ad supremum tribunal perveniatur. *l. cum ex causa. π. d. appell. l. Imperatores. eod. Ord. Cam. p. 2. t. 1. § 26.* Summum autem tribunal in Imperio nostro est CAMERA IMPERIALIS R. A. d. an. 1520. §. dieweil nun das oberste und letzte Gerichte etc. à qua ulterius nulla appellatio conceditur *text. in t. 52. p. 3. d. Ord. Cam.* Cum enim in Rep. Germ. penes Imperatorem & Status Imp. simul & conjunctim sit potestas condendarum legum in R. A. *passim.* illi conjunctim hoc summum judiciû tempore Maximiliani I. instituerunt, ut ibi secundum leges à se latas vel approbatas litigantibus jus redderetur. Camera Imperialis igitur nō ab Imperatore dūtaxat, sed & à statib9 Imp. conjunctim jurisdictionem suam habet. *per text. in §. und damit aufferhalb. R. A. d. an. 1541. add. Reink. d. reg. sec. § Eccl. l. 2. cl. 2. c. 14. n. 23. Limn. d. jur. pub. l. 9. c. 2. n. 53.* Unde ipsi Imperatores illam nonnunquam vocant Unser und des H. Reichs Cammer Gericht. *in pr. Ord. Cam. d. an. 1495. §.* In der Handhabung des Friedens *d. an. 1495. tit. Alle Register und des Reichs Lehnbücher §. ult.* Quapropter Imperator causas è Camera Imp. ad suum judicium Aulicum evocare non potest. *per text. in tit. 35. p. 2. d. Ord. Cam. nec illam absq; Procerum Imper. consensu immutare. Grav. l. concl. 41. Reink. d. lib. c. 14.*

LXXIII. Quoniam igitur Camera Imperialis illius summæ jurisdictionis, quæ Legislationi indissolubili nexu cohaeret

G

& c.

Boss.

& essentialis pars Majestatis est, exercitium sibi concreditum habeat, fieri non potest, quin illa in omnibus personis & rebus Imperio subjectis jurisdictionem virtualiter teneat fundatam. Quare licet Proceribus Imp. territoria cum omnimoda jurisdictione perpetuo & hereditario jure sint collata, non tamen proinde illa suprema Jurisdictio ex istis territoriis prorsus exterminata dicenda est, est enim impossibile, ut territorium aliquod subjectum sit alicui summæ Potestati, & tamen ejus jurisdictioni in summo suo gradu considerata sit exemptum. Jurisdictio itaque illa particularis, quæ singulis Statibus Imp. in suis territoriis competit, ab illa independenti universali jurisdictione, quam in omnibus statibus cum Imperatore conjunctim consideratis tanquam in suo subjecto adæquato residere diximus, dependet eiq; subservit. Quare si suo munere non probè fungatur, ab illa ad illam supremam jurisdictionem meritò appellari potest. Hinc est quod subditi Statuum Imp. licet suorum Dominorum jurisdictioni adeo subjecti sint, ut ad supremum judicium invitis Dominis evocari vel extrahi non possint, *Ord. Cam. p. 2. t. 1. in pr.* nihilominus absque debita obedientiæ violatione ab eorum sententiis ad Cameram Imperialem ceu summum & supremum tribunal appellare possint, nec ulla ratione ut id faciant, prohibere queunt. Quoniam autem gradatim absq; saltu appellationes fieri debent, Camera Imp. forum competens aliter esse nequit, quam si inter judicem à quo appellatur & Cameram nullus alius judex sit intermedius *d. Ord. p. 2. t. 19. & t. 28. §. nach dem. & §. woferne das.* quod tamen aliquot modis limitatur: *vide Myns. 1. obs. 49. 67. 82. 97. & 2. obs. 45. 57. 67. Gail. 1. obs. 28. in pr. & obs. 129. conf. Bach. ad Tr. 2. disp. ult. th. 6. lit. a. & b.* Nullo igitur existente intermedio, gravatus rectè Cameram provocat, etiamsi jam ter ab aliis judicibus in ista causa appellatum fuerit; exceptio enim trium appellationum *l. un. C. Ne liceat in una ead. caus. ter provoc.* in Camera non attenditur. *Gail. 1. obs. 72. Myns. 1. obs. 15.* ubi id aliquot præjudiciis cõfirmat. Quod & à judice feudali gradatim ad Cameram appellare liceat testatur *Gail. 1. obs. 56.* Etiam à judicibus Austregarum ad Cameram mediante appellatione devolvi posse causas, omni caret dubio *per text. in t. 2. p. 2. d. Ord.*

d. Ord. Cam. Fit tamen nonnunquam ut à quibusdam Judicibus appellari non possit, licet jurisdictio eorum non independens, sed dependens sit, & hoc ex indultu ejus, penes quem est in Rep. summa potestas. Sic à Præfecto Prætorio appellari non licebat. *l. un. C. d. sent. Præf. prætor.* Ex Constitutione Aur. Bullæ, t. II, ab Electoribus Septemviris appellatio prorsus interdicta est; attamen Exceptis Electore Sax. & Brandenb. ab illis ex consuetudine hodie appellari, refert post alios *Reink. d. reg. sec. & Eccles. l. I. c. l. 4 c. 6. n. 3.* Et privilegium de non appellando non modo Electorem Sax. sed & reliquos Saxoniarum Principes habere testatur. *Reink. d. d. l. & Heig. 1. q. 4.* ubi addit, quod ab illis nullo modo nec Supplicationis, nec Nullitatis, Revisionisve remedio ad Camera Imperialis causæ devolvi possint. Etiam Archiduces Austriæ & Ducem Burgundiæ privilegio de planè non appellando frui tradit *Wehner, tom. 6. Symphor. conf. Reink. d. l.* Cæteri status Imperii ferè omnes obtinent privilegium de non appellando intra certam summam, quorum Catalogum refert *Wehner d. t. 6.* Multi sunt, qui putant lege humana vel privilegio Principis appellationem & jus appellandi impediri vel tolli non posse, cum sit quædam defensio, defensionem autem sui utpote jure naturali institutam à Principe tolli vel impediri non posse. Sed hanc opinionem optimè refellit *Bach. ad Tr. 2. disp. ult. tb. 1. lit. A. conf. Covarr. præf. q. 4. Rittersb. ad Novell p. 9. c. 1.*

LXXIV. Non tamen in omnibus causis ad Cam. Imperialem appellari potest, nam in criminalibus quibus de poenâ corpori infligendâ agitur, die Leibesstraffen auff sich tragen nullam appellationem in Camera recipiendam esse cautum est in *Ord. Cam. p. 2. t. 28. §. item nach dem dem.* Nec in causis Matrimonialibus tanquàm spiritualibus, Camerae jurisdictio est fundata. *Visitat. Abschied d. an. 70.* quod multis præjudiciis confirmat *Reink. d. regim sec. & Eccles. l. 3. cl. 1. c. 10. n. 14.* nisi ex capite Nullitatis aut Executionis agatur *Reink. d. l. n. 16. Gail. 1. obs 112.* Nec in Camera appellationes recipiuntur, si summa appellationis sit infra 50 florenos Rhenanos. *Ord. Cam. t. 28. §. 4. p. 2* quæ summa postea in *Recess. Spir. d. an. 1570. §. als wir das auch.* ad 150. fl. extensa est; tandem novissimè in *Recess. Deput. d. an. 1600. §. wiewol nun auch.* ista

summa exaucta est ad 300 fl. & ita ob increbescentes frivolas ap-
pellationes prior illa est duplicata. In quibusdam autem casibus
ista summa in recipiendis appellationibus non attenditur I. in
actione injuriarum sive actum sit ad recantationem, sive ad æsti-
mationem injuriæ illatæ. *Ord. Cam. d. l. Myns. 2. obs. 98.* quia fa-
ma hominis inæstimabilis est. *per l. si duobus d. R. I. & ib. Dd.*
II. in causis jurisdictionum, servitutum & jurium litigiosorum
aliarumq; rerum incertæ æstimationis, nec non censuum & re-
dituum *Ord. Cam. d. l.* Quod autem perpetuos redditus census &
fructus attinet, in his constitutum est, ut si sint sex florenorum
annuorum aut plurium, appellabiles sint, sin autem sint mino-
ris summæ, appellationem recipiatur; nisi redditus census aut
fructus isti, jurisdictioni cohæreant, ipsumve dominium vel
quasi, ex causa commissi vindicandum supra dictam 150 flore-
norum summam attingant. *Recess Spir. d. an. 70. §. was aber un-
ablosliche. idq; confirmatum est in Deputat. Recess. de an. 1600.*
§. wiewol nun, ita tamen ut & in his juxta auctam & duplicatam
150 fl. summam habita proportionis ratione augmentum adji-
ciatur. *d. §. wiewol nun.*

LXXV. Diximus Cameram Imp. supremum esse judici-
um in nostro Imperio: ideoq; ab ejus sententia ne quidem ad
Imperatorem ab illa appellari potest. *R. A. d. an. 1530. §. wie-
wol nun.* neque supplicatio permittitur *Ord. Cam. p. 3. t. 51.* (quod
olim secus erat in sententiis Præfecti Prætorio, à quibus licet ap-
pellari non posset, supplicari tamen erat licitum *l. un. C. d. sent.
præ.*) Si quis tamē læsum se existimet, petere potest Revisionem
Ord. Cam. d. t. 1. in nullo personarum aut causarum respectu habi-
to. *Matth. Steph. d. jurisd. l. 2. p. 1. c. 3. m. 1. n. 4.* Revisionem pe-
titurus debet legitimo tempore (sc. duob. mensib. ante Kal. Maji
Ord. Cam. p. 3. t. 53. quod tamen tempus postea in arduis negotiis
extensum est ad tres menses *Recess. Ratisb. d. an. 1557.* wiewol ferner
in Sall.) Electori Moguntino ceu Imperii Archicancellario in-
scriptis annunciare, se adversus Camerales ad eorum sententiæ
emendationem revisionem petere, supplicâdo ut administretur
processus ab Imperio constitutus *Ord. Cam. p. 3. t. 53.* Quod si au-
tem ipse Moguntinus, aut alius contra ipsum revisionem petat,
tunc

tunc Elector Trevirensis est ad eundem. *Recess Ratisb. d. an. 1594*
S. als uns auch. Hi Electores negotium ad Imperatorem & Sta-
tus Imp. qui isto anno ad visitationem Camerae deputati fuerint,
referunt, eosq; petunt, ut commissarios juris peritos ad istam Revi-
sionem mittant; qui omnes causam & acta diligenter cognoscant
& sua sententia dirimant *d. t. 33*. Et hoc Revisionis remedium o-
mnium ultimum est, & partes tenentur Revisorem sententiae ac-
quiescere. *Rotg. Ruland. d. Commiss. p. 1. l. 2. c. 21. n. 19. Bender. de*
revis. concl. 2. § 23. nec Revisionis Revisionem dari testantur
Mindan. Reink. Gail. & alii. Sunt multi, qui dicunt Caesaris ju-
dicium Aulicum habere cum Camera concurrentem jurisdic-
tionem in omnibus causis cum primae instantiae tum appellationis,
quam litem non facio meam, sed eam usu doctis dijudicandam
relinquo; ad illud autem pertinere omnes causas Imperii, nemo
dubitatur, praesertim post Const. nov. Judicii Aulici Matthiae Imp.
Hoc tamen hic observandum venit, quod illud judicium Auli-
cum proprie loquendo non sit Imperatoris, sed Imperii, unde
Electori Moguntino tanquam Imperii Archicancellario totum
juramento obstrictum est, & vulgo dicitur des Reichs Hoffraht.
Reink d. reg. l. 1. cl. 4. c. 19. Limn d. jur. pub. l. 9. c. 4. Webner. in
pract. observ. verb. Hoff/Kaiserlich Hoff. In hoc judicio etsi ante-
hac processus Cameralis non observabatur, nec Revisio locum
habebat, hodie tamen utrumq; introductum est per Pacificatio-
nem Osnabrugensem *artic. 5. §. 20. vers. quoad processum*.

LXXVI. Priorem partem nostrae dissertationis absolvi-
mus. Superest posterior, quae est de competentia FORI ECCLE-
SIASTICI: quae res eò diligentius tractanda est, quod origo ejus
& natura minus intellecta multis erroribus causam dedit. Quod
igitur in rerum, de quibus usq; huc egimus, principiis & funda-
mentis indagandis conati sumus, idem ut hic observemus rei praes-
stantia suadet. Suprà diximus competentiam fori & ipsum forum
dependere à jurisdictione, jurisdictionem autem in suo summo
gradu indissolubili nexu cohaerere Legislationi seu potestati le-
ges ferendi. Quare cui competit illa potestas ferendi leges de re-
bus religiosis seu Ecclesiasticis, illi etiam jurisdictio i. e. judici-
um coactivum seu imperativum circa negotia religiosa & Eccle-

siastica competit, in quantum sc. id ab homine aliquod exercere
possit. Quicquid autem ad salutem & felicitatem civilem obti-
nendam vel ad eam corrumpendam spectat, sine dubio Politicæ
Potestati, quæ in Rep. gubernanda summa est, subjicitur, ad
ejusq; curam pertinet. Atqui Religio & divinus cultus quan-
quam per se ad conciliandam Dei gratiam valent, habent tamen
& suos in rep. regenda & conservanda & corrumpenda effectus
maximos *H. Grot. d. jur. bel. & pac. c. 20. n. 44.* incredibili enim
adjumento Principibus sunt ad subditos bene regendos eosq; ad
temporalem felicitatem dirigendos. nec quicquam est, quod eos
magis in officio contineat. Quoniam enim Religio innata est o-
mnibus hominibus, adeo ut *nulla gens neq; tam barbara, neq; tam
immansueta sit, neq; tam fera, quæ non etiamsi ignoret qualem habe-
re Deum deceat, tamen habendum seu colendum sciat,* Cicero *l. 1. d.
leg. rectè Socrates ap. Xenophont. ait Deum colere Lex est apud o-
mnes homines recepta, qua lege & pietate sublata ait rursus. Cicero
l. 1. d. natur. Deor. fides etiam & societas humani generis & una ex-
cellentissima virtus justitia tollitur.* Unde Plato Religionem pro-
pugnaculum Potestatis ac legum & honesta disciplina vinculum ap-
pellat, & Plutarchus illam vocat *coagulum omnis societatis & fun-
damentum Legislationis.* Ex historiis enim tum veteribus tum re-
centioribus constat Religionem atq; externum divinum cultum
in omni humana rep. tanti esse momenti, ut ab illa una potissi-
mum pendeat pax & tranquillitas cujuscunq; reip. neq; quic-
quam sit, quod magis susq; deq; vertat regna & Imperia quam
causa fidei & religionis. Quæ omnia si vera sunt, ut sunt ve-
rissima, Religio & cultus DEI æque ac jus Naturæ, quo sub ne-
cessitate morali honesta præcipiuntur & turpia prohibentur, ad
Potestatis Politicæ curam pertinebunt, in quantum nim. cadunt
sub potestatem humanam; Posito enim fine simul ponitur jus ad
ea, sine quibus finis iste obtineri non potest. *arg l. 2 π. d. juris d.
& ib. Dd.* Hinc rectè Theodosius & Valentinianus Impp. Chri-
stiani: *Inter ceteras sollicitudines, quas amor publicus pervigili nobis
cogitatione induxit. præcipuam Imperatorie Majestatis curam esse pro-
spicimus RELIGIONIS indaginem, cujus si CULTUM retinere
potuerimus, iter prosperitatis humanis aperitur cæptis.* Nec hoc tan-
tum

tum ratio politica suadet, sed ipse Deus postquam naturali Religioni menti humanae innatae multa addidit (quae unice ex verbo ejus revelato innotescunt) serio mandat Potestatibus politicis, ut subditos ad cultum divinitus institutum adigant, cultum fictitium aboleant & populum in vera religione regant. *Deut. 17.* & passim qua ratione etiam Reges in Sacris monumentis *Ecclesiae* nutritii dicuntur.

LXXVII. Sane ex libris Regum & Chron. constat Davidem & Salomonem aliosq; Hebraeorum Reges summam exercuisse potestatem constituendi multa circa divinum cultum, cui tamen ex praeepto Dei Levitici sacerdotes deserviebant. David Levitarum ordinem novum quodammodo instituit, priori per Moysen instituto *Num. 3. 4. 8.* magna ex parte abrogato; ex Levitis enim alios sacerdotes & templi ministros esse voluit, alios cantores, alios janitores, alios scribas & judices. *1. Paralip. 23. & 28.* Salomon etiam Ordines Levitarum mutavit, & quod majus est, ordinem sacerdotalem immutavit translata sacerdotis dignitate ex una familia in aliam. Ezechias constituit turmas sacerdotales & Leviticis per divisiones suas unumquemq; in officio propriam sacerdotum quum Levitarum & ad holocausta & pacifica, ut ministrarent & confiterentur, canarentq; in portis castrorum Domini *2. Paralip. 3.* Et Josaphat Rex in Jerusalem constituit Levitas & sacerdotes & principes familiarum ex Israel, ut iudicium & causam Domini judicarent habitatoribus ejus, praecipitq; eis dicens sic ageris in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem causam quae venerit ad vos fratrum vestrorum, qui habitant in urbibus suis inter cognationem, ubicunq; questio est de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus ostendite eis, ut non peccent in Dominum & ne veniat ira super vos, & super fratres vestros; sic ergo agentes non peccabitis. Et ecce Amerias sacerdos & pontifex vester in bis, quae ad Deum pertinent, praesidebit. Porro Zabadias filius Ismael, qui est dux in Juda, super ea opera erit, quae ad Regis officium pertinent, habebitisq; magistros Levitas coram vobis *2. Paralip. 19. 10.* Jure Majestatis quam in rep. Hebraeorum habebat Josaphat, hoc iudicium instituit, eique duos quasi Praesides praefecit; alter ut esset iudex in causis secularibus, isq; dux domus Judae, alter in causis sacris & Eccle.

rebus Religionis sive de personis & causis Ecclesiasticis; & si Ecclesiastici aliquam habuerint vel habeant, eam habent titulo vicario, non ut Ecclesiastici, sed magistratus seculares. In rep. Hebræor. antequam summa potestas ad Reges devoluta erat, Sacerdotes jurisdictionem etiam de rebus profanis habuisse constat ex *Deut. 17.* sed eam non habebant nisi ex peculiari concessione ejus, penes quem in ista rep. summa potestas erat, id est, DEI. Hic enim ipse omnia Majestatis jura in rep. illâ tum defendendâ tum regendâ exercebat. Unde Remp. Hebræorum, quæ ante Reges extitit Theocratian seu Remp. Divinam appellat Josephus *l. 11. advers. Appion.* quippe summa potestas, quæ potissimum consistit in his tribus, in condendis legibus, instituendis judiciis & gerendo bello, penes Moysen cæterosq; judices, cujusmodi fuerunt Josua, Othoniel &c. non fuit, sed ipse Deus eam sibi reservarat, quod ex sacris literis insigniter ostendit Marcus Anton. de *Dominis de rep. Eccles. l. 6. c. 2. n. 7.* Unde cum Hebræi postularent, ut sibi Rex daretur, ipse Deus ad Samuelem loquitur in hunc modum: *Audi vocem Populi in omnibus quæ loquuntur tibi, non enim TE abjecerunt, sed ME ne REGNEM super eos.* Habebant itaq; Sacerdotes tempore Judicum jurisdictionem potestatem non jure proprio, eorum enim functio sacerdotalis eam nõ exigebat, sed ex arbitrio illius, penes quem in ista rep. Majestas residebat. Constitutis Regibus, sacerdotes, quod tunc temporis cæteris legum peritiores essent, jurisdictio attributa est non à Deo, sed ab illo, qui summam in rep. potestatem obrinebat, id est, Rege Hebræorum, quemadmodum ex judicio à Josophato instituto, cujus descriptionem ex sacris literis suprâ recitavimus, id clarissimè apparet.

LXXX. Episcopis seu Presbyteris Christianis à Salvatore nostro nulla jurisdictio est concessa ne quidem in causis spirituales. quod tum ex sacris literis tum praxi primitivæ Ecclesiæ nos edocent Marcus Antonius de *Dominis in tractatu de rep. Ecclesiast. l. 6.* Hugo Grotius in *Pietat. Ord. Holl. & in tr. d. imp. summ. pot. circ. sacr.* Chrysostomus explicans illa verba Pauli: *Non dominamur fidei nostræ (2. Cor. 2. 2.)* inquit *Non enim à legibus data est nobis Episcopis sive presbyteris talis potestas ut autoritate sententia cohibeamus homines à delictis.* & paulo post subjungit.
Homo

Homo verò si à fide vestra fuerit abductus, multum imminet sacerdoti patientia industria exhortationis, quod non potest errantem vi reducere, sed persuadere conabitur, ut ad fidem rectam revertatur, à qua primitus corruit. Hinc in monumentis sacris Legati, Doctores. Nuncii & præcones dicuntur, quorum officium est non imperio coactivo aliquem obligare, sed alienum imperium annunciare. Functio eorum consistit, in prædicatione verbi divini, in administratione sacramentorū & in potestate clavium, aliam potestatem sacræ paginæ non docent. Duo priora nulla ratione Jurisdictionem includunt; Potestatem autem clavium Pontificii extendere eousq; conantur, ut & jurisdictionem includat. Verum potestas clavium, ut in scholis Theologorum docemur, nihil aliud est quàm singularis annunciatio & applicatio promissionum & comminationum Evangelicarum, Chemnit. in exam. Concil. Trident. p. 2. c. d. absolut. Marc. Ant. d. Domin. c. 7. & 9. hoc autem faciendo Episcopus seu presbyter non exercet jura potestatis coactivæ, sed tantum officium suum exhibet. Solus enim Deus dimittit peccata: unde Hieronymus ait: *Quomodo sacerdos leprosum mundum vel immundum facit. sic presbyter solvit & ligat.* Et Lombardus Sacerdotibus, inquit, tribuit Deus potestatem ligandi & solvendi, id est, ostendendi homines solutos vel ligatos; in solvendis ergo culpis vel retinendis ita operatur sacerdos & judicat, sicut olim in illis qui contaminati erant leprâ. Confer Marc. And. d. 1. Et observatu digna sunt verba Hieronymi: *Hunc locum (de versu 19. c. 16. Matth. loquitur) quidam non intelligentes sumunt de supercilio Phariseorum, ut damnare innoxios vel solvere se putent noxios, cum apud Deum non sententia sacerdotum sed reorum vita queritur.* Quare sicubi Apostoli & presbyteri leguntur imperare (ut art. 15 & 20. 1. Tim. 5. & passim alibi) id intelligendum est per eam figuram qua dicuntur remittere vel retinere peccata, pro remissa & retentæ annunciare. Ex quibus intelligere est quid roboris habeant illa Tridentina fulmina bruta quæ mittuntur in omnes, Christianos qui Pontificiæ Jurisdictioni Ecclesiasticæ collum submittere recusant.

LXXXI. Ex huc usq; dictis liquidò constat Ecclesiasticis & sacrorum Antistitibus, in quantum tales sunt, nullam compe-

tere jure divino jurisdictionem, sed illos jurisdictioni seculari
subjectos esse. Verum postquam Imperatores Christianam fi-
dem amplexi sunt, autoritate, quâ pollebant, in rep. suâ illis ju-
isdictionem & immunitatem à jurisdictione seculari concesserunt.
Primum Constantinum Magnum id fecisse nos edocet
Zosemenus l. 1. c. 9. *Illud planè, inquit, maximum reverentia Im-
peratris erga Religionem argumentum, quod Clericis ubiq; per legem
ob eam rem conditam immunitatem donari voluit, quodq; illis, qui
erunt in judicium vocati, dedit potestatem, si modo, animum induce-
rent Magistratus civiles rejicere, ad Episcoporum judicium provocan-
di.* Idem repetit Nicephorus l. 7. c. 46. Et ita Constantinus pri-
mum Clericorum proprium forum attribuit, si modo in foro se-
culari conveniri nollent. Postea Valentinianus II. & Theodo-
sius I. de causis Religionem concernentibus jurisdictionem &
judicandi facultatem Clericis dederunt hac constitutione: *Qui-
buscunq; fuerit mota questio quæ ad Christianam pertinet sanctita-
tem, eos decebit sub eo judice litigare, qui Presul est in suis partibus
omnium sacerdotum. l. pariter Cod. Theod. d. Episc. & jud.* Postmo-
dum idem Theodosius Episcoporum jurisdictionem auxit hac lege:
*Quicumq; litem habens sive possessor sive petitor fuerit, vel in initio litis
vel decursis temporum curriculis, sive cum negotiû peroretur sive cum
jam cœperit promi sententia, judiciû elegerit sacrosanctæ sedis (quæ-
dã exemplaria habent legis) antistitis, illico sine aliqua dubitatione,
etiamsi, aliqua pars refragatur, ad Episcoporum judiciû cum sermo-
ne litigantium dirigantur. Omnes itaq; causæ, quæ vel pratorio jure
vel civili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ perpetuò stabi-
litate jure firmentur, nec ulterius liceat retractare negotium, quod
Episcoporum sententia deciderit. l. 1. Cod. Theod. d. Episc. & jud.* Hæc
constitutio in ipso Codice Theodosiano, quem Johan. Sichardus
primus in lucem reduxit anno 1528. & Joh. Tilius auxit, elegan-
tiores demum edidit Cujacius, Constantino tribuitur; Verum
apud Benedictum Levitam l. b. capital. 281. Carolus Magnus in
suo quodam capitulo seu constitutione (qua hanc legem totam
totidem verbis recitans commendat & confirmat) eam adscri-
bit Theodosio, quod faciunt etiam Ivo p. 16. c. 312. Anselmus
l. 3. c. 108. & Gratianus c. 35. caus. 11. q. 1. Atq; ita juxta legem.
Theo.

Theodosi omnes controversiæ forenses tam Laicorum, quam Clericorum in foro Ecclesiastico, altero litigantium id postulante, peragebantur, parte altera etiam invitâ. Hoc autem nullo reip. bono & summo Ecclesiæ detrimento, dum Episcopi alienis incumbabant curis, sui quod erat muneris negligentes. qua de causa ista constitutio Theodosii mox antiquata videtur. Etenim Martianus & qui eum in Imperio secuti sunt, Leo atq; Arthemio rescripserunt de nullis causis civilibus Ecclesiasticos iudices cognoscere, nisi actor eum adire mallet l. 25. & l. 33. C. d. Episc. & Cler. quod tempore Justiniani etiam observatum fuisse constat ex l. 51. C. eod. & l. 29. §. 4. d. Episc. aud. Verum Justinianus postea de hoc jure rursus aliquid relaxavit in N. 123. ubi constituit, ut Clerici in causis pecuniariis apud solum Episcopum convenirentur, ita tamen ut ab illo possent appellare ad præsidem provinciæ, aut si iudicium differret Episcopus, ut actori liceret adire iudicem secularem, etiam in prima instantia d. N. c. 21. Cæterum in criminalibus, in quibus (nullo excepto crimine) antè Justinianum forum Ecclesiasticum non erat competens, primus distinxit inter crimina civilia & Ecclesiastica: ita ut in his Ecclesiasticus, in illis secularis iudex competens esset. d. c. 21. Ipsi autem Episcopi non nisi coram suo Metropolitanò convenirentur voluit, à quo ad Patriarcham appellare iis permisit d. N. 123. c. 8. nisi Constanti-nopoli reperirentur extra causam Legationis, quo casu apud Præfectum Prætorio vel delegatos Principis respondere tenebantur d. N. c. 24. & 26. Atque ita in causis profanis Clerici forum forciebantur apud Iudicem Ecclesiasticum sed tamen non semper. Actiones verò ad negotia Ecclesiastica pertinentes à solis Episcopis aut Metropolitanis aut à sacris synodis aut à Patriarchis ut cognoscerentur, jam antea Justinianus jusserat in l. 29. §. 4. C. d. Episc. aud.

LXXXII. Istas constitutiones Justiniani etiam in Occidente in usu fori observatas fuisse non facile dixerim. Ast Carolus Magnus rerum summa ibi positus luculentâ constitutione renovavit veterem legem Theodosii, quam supra recitavimus. ista constitutio Caroli legitur apud Benedictum Levitam l. 6. capitul. 281. quam totidem verbis refert Gratianus in c. 37. caus. 11.

q. 1. Et ne quid deesset favori, quo prosequeretur Carolus Clericos, ab omni jurisdictione seculari eximere voluisse videtur, quâ de re apud Ansegisum Abbatem Lobensem & Benedictum Levitam (quorum primus tempore Ludovici scripsit, alter superstibus adhuc Ludovici filiis) inter capitula Caroli hæc leguntur: *Nemo audeat Clericum aut monachum aut sanctimoniam femina- nam ad civile iudicium accusare, sed ad Episcopum; & ipse vel ex lege vel ex canonibus consentaneam & justam sententiam proferat. Item: ut Clerici qui iudices seculares appetunt, excommunicentur.* capit. 369 l. 7. Ex quo obiter notandum, falli Cujacium, qui ad c. 1. ext. d. for. comp. notat Papam Innocentium III. omnium primum prohibuisse in c. 12. ext. eod. ne Clerici secularem jurisdictionem prorogent. Ut autem Episcopus Clericorum Ordinarius iudex constitutus est à Carolo, ita ipsum Episcopum convenire iussit in synodo provinciali; si autem ipse Metropolitanum aut iudices suspectos habuerit, aut infestos senserit, apud Primate[m] Dioceseos, aut apud Romanæ sedis Pontificem iudicetur. capit. 234. l. 7. Quod si autem adversus provincie Metropolitanum Episcopus vel Clericus habuerit querelam, petat Primate[m] Dioceseos ut apud ipsum iudicetur, aut apud sedem Apostolicam. capit. 241. l. 7. His legibus suis Carolus Potestatem Ecclesiasticam supra modum auxit, ut eos ab omni seculari potestate exemisse videatur; forte memor istius beneficii, quod ab eorum supremo Antistite per parentem Pipinum acceperat. Namq; Zacharias Papa Rom. Chilpericum Galliarum Regem Merovæi stirpis ultimum, ut rebus gerendis inurilem privari sceptro & detrudi in monasterium, Pipinumq; inungi Regem iusserat, quod præstitit Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus circa annum 750. *Adelm. in annal. Franc ad an. 750.* Vero simile autem est istas Caroli constitutiones ejus nepotum ætate non perinde fuisse observatas, sensim eorum dignitate decrescente, maximè post creatos Duces quasi hereditarios. Quapropter Fridericus II. admodum adolescens & sub tutela Honorii Papæ inducto à Tutore exemptionem Clericorum à Carolo donatam confirmavit hac lege: *Statuimus, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali questione vel civili trahere ad iudicium seculare presumat contra constitutiones Imperales & Canonicas* sanctio-

sanctiones; quod si actor fecerit, à suo jure cadat, judicatum non te-
neat, & judex ex tunc potestate judicandi privetur. *Extra wag. d. stat*
& consuet. contr. lib. Eccl. §. pen. undè delumpta est auth. *Statuimus*
C. d. Episc. & Cler. Hanc Friderici adolescentis Constitutionem ut
tantò majorem haberet authoritatem, nec facilè antiquaretur,
Tutor ejus Honorius Papa approbavit & confirmavit eà, qua
pollebat autoritate, minatus omnibus transgressoribus *omnipotentis Dei & Petri & Pauli Apostolorum indignationem.* vid. *d. extrav.*
in fin. Tandem anno 1246. idem Fridericus unâ cum Statibus
Imperii publico decreto jussit, ut de personis & causis Ecclesiasti-
cis in foro Ecclesiastico judicaretur juxta Jus CANONICUM
paulo ante recens fabrefactum. Verba Constitutionis istius le-
guntur apud Goldastum *Reichsstatuten* p. 2. Post hanc ætatem,
Clericorum autoritas tanta esse cœpit, ut à legibus civilibus & o-
mni Magistratu politico & ipso Imperatore se suaq; bona sub-
traxerint, & quasi peculiarem patriam peculiaremq; remp. sibi
constituerint, cujus caput Pontifex Rom. audit.

LXXXIII. Exhactenus dictis liquidò constat, quib9 fun-
damentis innitatur Ecclesiastica jurisdictio & ejus sequela fo-
rum Ecclesiasticum, & quam verax sit Urbanus VIII. qui Cleri-
cos jurisdictioni seculari jure divino exemptos asserit in *c. quan-*
quam d. cens. in 6. quod jam ante eum implicite dixerat Papa Jo-
hannes in *c. semper. dist. 69.* Eo autè modo quo diximus introducta
jurisdictio Ecclesiastica, iudicibus Ecclesiasticis Ordinariis attri-
buita est tribus q. cancellis circumscripta. Prælaturâ nim. perso-
nis & causis. Ecclesiasticus igitur iudex Ordinarius suam jurisdic-
tionem fundatam habet in tota sua Prælatura, nò tantum super
personis Ecclesiasticis de quacunq; causa tam seculari quam Ec-
clesiastica, sed & super Laicis de causis spiritualibus convenien-
dis. vid. *Job. Honor. summ. in decret. t. d. jud. n. 10. Vallens. parat.*
Decret. t. d. for. comp. n. 12. Ordinarius autem iudex Ecclesiasticus
est Prælatus, cujus appellatione veniunt omnes jurisditionem
Ecclesiasticam habentes tum Episcopi tum his inferiores & su-
periores. *Job. Hon. l. 1. t. 31. n. 1.* Apud Ordinarium iudicem per-
sonæ Ecclesiasticæ forum sortiuntur, vel ratione domicilii c. 17.
& c. ult. ext. h. t. vel ratione rei sitæ, de qua controversatur. c. sane. c.

Persona Ecclesiastica
ap. qm iudicem et qly
modis sortiuntur forum.

118.

*ult. ext. b. t. vel ratione delicti c. postulasti & c. ult. ext. b. t. vel ra-
tione specialis subjectionis l. significasti 18. b. t. & gloss. in c. 40. ext.
d. offic. deleg. c. ult. b. t. & c. 1. eod. in 6. vel ob continentiam cau-
sæ c. pen. ext. d. in integr. rest. c. lator. ext. qui fil. leg. sint. c. 2. d. re-
script. in 6. Cum autem de his causis & modis sortiendi forum supra
abundè actum sit, duo tantum notanda hic sunt, quæ in sortitione
fori Eccles. aliter se habent, quam in sortitione fori secularis. Pri-
mum est quod Personæ Ecclesiasticæ quadruplex habeant Do-
mici- lium, cujus ratione forum sortiuntur I. Domicilium gene-
rale, quod Urbs Roma est, ubi omnes, qui ibi reperiuntur, con-
veniri possunt, tum actionibus realibus tum personalibus *c. ult.*
ext. d. for. comp. Etiam omnes Laici ibi forum sortiuntur quoad
causas spirituales *arg. c. cuncta & c. per principalem q. 3. c. quis du-*
bitet 96. dist. II. Domicilium Habitationis, de quo *gloss. in c. sta-*
tuimus § cum vero. d. rescript. III. Domicilium Ordinis, de quo
Abbas in c. 1. d. Paroch. Felin. in c. Postulasti d. for. comp. IV. Do-
mici- lium beneficii Ecclesiastici requerentis assiduitatem seu re-
sidentiam. *Felin. in c. dilectus d. rescript. & in c. postulasti b. t.* Licet
autem alias, quando reus plura habet domicilia, in arbitrio acto-
ris sit, ubi reum convenire velit, neq; reus forum regulariter de-
clinare possit, sive in rem sive in personam agatur, uti supra ostē-
sum est, secus tamen est quando agitur de beneficio Ecclesiasti-
co, tum enim iudex beneficii adeo iudex competens est, ut alius
etiam reo ipso consentiente sine licentia ejus adiri non possit.
c. significasti ext. b. t. Felin. in d. c. dilectus n. 10. quod tamen intel-
ligendum de casu, quo de ipso beneficio agitur, secus est, si de
alia re beneficium concernente lis sit. *Felin. d. l. Secundò hic ob-*
servandum est, quod Personæ Ecclesiasticæ nō nisi coram suo ju-
dice Ordinario cōveniri, nec ullo modo jurisdictionem secula-
ris judicis prorogare possint, & ne quidem accidente consensu
Episcopi c. 12. c. 18. ext. b. t. & ib. Dd. conf. Rittersb. d. different. jur.
civ. & Can. l. 5. c. 4. Possunt tamen renunciare foro Ordinario
& prorogare jurisdictionem alterius judicis Ecclesiastici, si mo-
do id faciant consensu judicis sui Ordinarii *d. c. 18. gloss. in c. 40.*
*d. offic. deleg.**

LXXXIV. Atq; ita personæ Ecclesiasticæ coram suo Or-
dina-

Personæ Ecclesiasticæ
domicilium est quadruplex

inario Ecclesiastico iudice conveniuntur, quibus annume-
rantur etiam Conversi & Conversæ, qui aliàs fratres & soro-
res tertii Ordinis appellantur *c. parochianos. c. eo tenore Jo-*
han. Andr. in c. sciant d. elect. in 6. Socin. in C. si quis Clericus
ext. b. t. n. 10. Eremitæ autem, cum non sint deputati ad certum
usum Ecclesiasticum, sed sibi suæq; voluntati absq; ulla appro-
bata regula vivant, neq; Clerici neq; Religiosi sunt, sed Laici;
quapropter foro Ecclesiastico non gaudent. *arg. c. 12. q. 2. & ita*
sentiunt Canonistæ communiter teste Socin. d. l. n. 11. absurdum enim
est, ut quis se sua propria voluntate à jurisdictione seculari exi-
mat. Neq; Canonici vel canonicæ seculares propriè sunt Eccle-
siasticæ personæ, ideoq; forū Ecclesiasticum eos non sortiri con-
cludunt Assessores *Rota decis. 398. in antiquis. conf. Socin. d. l. n.*
24. De familia Clericorum & religiosorum quæri solet, utrum
apud iudicem Ecclesiasticum cōveniri debeant. quod post gloss.
multi affirmant, adeo ut ne quidem eorum concubinæ nisi in
foro Ecclesiastico conveniri possint *vid. Socin. ad c. si quis Cle-*
ricus n. 21. b. t. quod tamen ipse non probat, sed contrarium tue-
tur. Verum cum Episcopi & Prælati grandiores in Germania
nostra jurisdictionem civilem cum Ecclesiastica conjunctam
habeant, hujus quæstionis de Clericorum familia accuratior cō-
sideratio otiosa & supervacanea est. Personis Ecclesiasticis an-
numerari solent Collegia Ecclesiastica *Socin. d. l. Sichard. ad auth.*
Habita C. ne fil pro patr. Academiae autem & Universitates pro
Ecclesiasticis non simpliciter habentur, sed tum demum, si ex
solis Clericis consistant, vel major pars Collegarum Clerici sint;
& ita Dd. comm. sentiunt. *vid. Sichard. d. l.* Quod si autem major
pars Laicorum sit, Universitatem Laicam esse volunt & cōveni-
endam in foro seculari, cum minor pars induat partem majoris,
& mixtum ex parte potentiori æstimetur *l. queritur d. star. hom.*
l. 13. §. 19. d. aur. & arg. leg. Hinc cum plerumq; in Universitatib.
plures professores Laici sint, in Germania nostrâ receptum est,
ut si à Sententia Rectorum Universitatum appellari contingat,
non ad Episcopum, quibus Universitates regulariter subiectæ
sunt, tam jurisdictionis, quam diocesana Lege *Matth. Steph. d.*
jurisd. l. 3. p. 2. c. 14. n. 28. sed ad principes seculares appelatio-

nes devolvantur, *Matth. Steph. d. l. c. 12. n. 81.* & quod si Universitates immediatè Imperatori subsint, dirigantur ad Cameram imperialem, prout in Universitate, quæ Colonia Agrippinæ est, aliquoties practicum memini. Verum cum hodiè privilegia, jurisdictiones & fora Academiarum regantur, prout eorum Nutritii & conservatores volunt, quid in unaquaq; his in casibus servetur, usus & observantia docebit, *vid. Carpzov. d. jurispr. Consist. l. 3. t. 1. defiu. 8. Matth. Steph. d. l. n. 81.*

LXXXV. Ut Clerici & personæ Ecclesiasticæ jurisdictionem nō habentes coram Episcopis & Prælatiſ conveniendi sunt, ita hi forum sortiuntur apud suum Metropolitatum seu Archiepiscopum, tum in civilibus, tum in criminalibus, *c. 3. in pr. ext. d. for. comp. c. de his. dist. 12. Cardin. Alex. Panorm. in c. pastoral. n. 2. d. offic. Ord. jud. quod tamen intelligendum, si delicti atrocitas depositionem seu privationem dignitatis Ecclesiasticæ non exposcat. nam aliàs Metropolitano cum ejus suffraganeis solum cognitio, definitio autem Pontifici competit, per c. inter corp. d. transl. Prelar. Abb. in c. 2. d. accus. Alpb. Alpb. in Spec. c. 30. n. 11. Metropolitanis autem cum Patriarchis & Cardinalibus non nisi coram ipso Pontifice Rom. conveniri possunt *Dd. comm. teste Clar. recept. sent. l. 5. q. 35. §. n. 40. Gudel. d. jure noviss. l. 6. c. 3.* Verum ipse Papa, qui hodiè omnis Ecclesiasticæ dignitatis apex, vertex & princeps audit, & sibi subiectum habet totum Clerum, id est, omnes habentes ordines & primam consuetudinem. *Clem. 2. §. 1. & ibi Card. de Sepult. add. Gudel. d. l. c. 2. cunctos judicat, à nemine autem judicandus est, etiamsi innumerabiles populos catervatim secum ducat in gehennam, ut ipse Papa Gregorius VII. loquitur in c. si papa dist. 40.* Sed olim non erat sic, nam Leo IV. præcepta Lotharii & Imperatorum omnibus modis se servaturum promisit *c. de capitulis. 10. c. ult. dist. 10.* Idem de Johanne VIII, probat *c. vides & seq. dist. 10.* Et prædictus Leo coram Ludovico II. ob crimen læsæ majestatis delatus causam dixit *c. nos si incomp. 2. q. 7. c. igitur, & seq. 23. q. 8.* ubi reddit Imperatori rationem, quod arma pro defendenda Roma suscepisset. Pro hujus rei confirmatione textus complurimi occurrunt *in dist. 63.* Notandū tamen est, quod postquam à Ludovico Pio Episcopi in ordinem*

dinem Principum relati sunt *Helmold. l. 1. c. 4. Rener. Renec. d. Sax. Orig. & Otto Magnus Ducatib9, Comitatus. & aliis Imperii feudis eos communivit, ut ad paganis & hæreticis resistendū fortiores essent. Theod. à Niem. d. priv. & jur. Imp. c. d. Saxon. & c. Otto I. add. Meibom. ad l. 1. annal. Witich. Monach.* (qua in re Ottonem alii Imperatores secuti Episcopis provincias Laicorum principum sine legitimo herede defunctorum concesserunt, quo fideles vasallos sibi eligere possent, nec feuda ista hereditaria fierent: vid. *Onuphr. Panvin. in vita Gregor. VII. add. Lehman. in Chron. Spir.*) duplicem personam Episcopi sustinere coeperunt, secularem & Ecclesiasticam: Ratione dignitatis & muneris Ecclesiastici in foro Ecclesiastico conveniuntur, ut ex dictis apparet; ratione feudorum Regalium, quæ ab Imperio habent, status Imperii sunt, ideoq; sicut alii seculares status Imperii vel coram Austregis vel in Camera Imperiali sunt conveniendi, ut supra dictum est, & Banno Imperiali, quoad privationem istorum bonorum feudaliū, subjecti sunt. *Gail. de pac. publ. l. 1. c. 1. n. 12. Myns. 5. obs. 58. n. 3.* & ab eorum sententiis, quas contra subditos suos dederint, ad Camera appellari potest *Gail. 1. obs. 30. n. 1. Myns. 5. obs. 38.* Intuitu enim Regalium & feudorum, quæ ab Imperio tenent, propriè seculares principes sunt. Nam quamquam Provincia istæ personis Ecclesiasticis sunt in feudum concessæ, non tamen propterea esse desierunt bona & provinciæ Imperii. vid. *Onuphr. Panvin. d. 1. & Sigon. d. 3. Ital. in fin. add. M. Ant. Peregrin. 1. Conf. 1. Didac. Covarruv. pract. qq. c. 4. n. 1. & seqq. Thom. Grammat. decis. Neapol. 29. n. 12.* Unde eorum multi, occasione Episcopatum & feudorum, quæ ab Imperio possident, peculiare titulos secularibus Principibus propriè competentes habent. Sic Archiepiscopus Coloniensis Dux Angariæ & Westphaliæ dicitur. Episcopus Herbipolensis Dux Franconiæ, Argentinenis Landgravius Alsatia, & alii alios ejusmodi titulos ratione episcopatum & feudorum Imperii obtinent. vid. *Sixtin. d. regal. l. 1. c. 4. n. 120.* Quo ad competentiam fori idem procedit in Capitulis seu collegiis Canonorum liberis, ut sunt collegium Canonorum Bruxellæ in Braurheim/itè Burscheldt prope Aquisgranum, & Collegium in Arnuesl prope Sarbrucken; quæ omnia

ratio principalis est de validitate seu vinculo juramenti, sed de re ipsa, super qua hoc vinculum interpositum fuit; ideoque à foro causæ principalis non est separanda incidens quæstio juramenti, per ea quæ supra de continentia causæ diximus. (Sed communiter dissentiunt Canonistæ, qui omnia ad suum imperium & suam molendina trahere satagunt, ut ait *Bald. ad. l. i. C. d. oper. libert.*) Quapropter etiam Assessores Camerae Imp. hanc relaxationem exercent. *Gail. 1. obs. 21. & ib. Grav. Myns. 3. obs. 99.* VI. causæ violatæ libertatis ecclesiæ, ejusque personarum adversus Canonicas & imperiales sanctiones, *c. novent c. gravem. d. sent. excomm. c. quoniam. d. immun. Eccles. in 6.* In his & similibus causis (quas recenset *Johan. Honor. d. l. n. 10.* & *Laurentius Ohm. d. jur. Episc. §. 15. & seqq.*) Laici sortiuntur forum Ecclesiasticum, cujus judex Ordinarius est Prælati ejus dioceseos, ubi habitat Reus laicus. Fit tamen nonnunquam, ut causæ matrimoniales, item de decimis & bonis Ecclesiasticis & jure patronatus, in foro seculari tractari possint, *vid. Gail. 1. obs. 38. & 112. Mart. d. jurid. p. 2. c. 40.*

LXXXVIII. Atque ita personæ & causæ Ecclesiasticæ juxta dispositionem juris Can. & Romanensium consuetudines in prima instantia ad forum Ecclesiasticum pertinent. Interposita autem appellatione proximus judex Ecclesiasticus etiam jure Canonico regulariter aditur, donec tandem ad supremum Ecclesiasticum tribunal pervenitur *c. 66. ext. d. appell. Lancellot. in inst. jur. Canon. l. 2. t. 17. § non omnes ergo.* Equidem Otto Mag. Imp. constituerat, ut postremæ appellationes à judiciis Ecclesiasticis Imperii Germanici ad Prælatem Germaniæ, qui est Archiepiscopus Magdeburgensis, fierent. *vid. Laurent. Ohm d. jur. Episc. §. 13.* Sed hodiè non tantum ab Ordinario judice Ecclesiastico gradatim ad Pontificem appellatur, verum etiam omissis iudiciis intermediis rectè ad illum appellationes devolvuntur. *c. si duobus. 7. c. sollicitudinem 4. ext. d. appell. Gail. 1. obs. 19. n. 13. Ferrar. 2. appell. 5. Gudel. d. jur. noviss. l. 4. c. 14.* à quo ulterior appellatio nulla est, adeo ut à Papa ad Concilium appellari posse asserentem hæreticum esse & tanquam reum læsæ Majestatis condemnandum doceant Canonistæ, *vid. Schacc. in tr. d. appell. q. 8. n. 63.*

LXXXIX.

LXXXIX. Postquam autē Religio Christiana in plerisq; Germaniæ Provinciis ab errorib. & additamentis Pontificiis repurgata est, jurisdictio Pontificia etiā valde est imminuta, adeo ut illa per Constitutionem Pacis Religiosæ anno 1534. cœptam, Passavii an. 1552. repetitam, Augustæ Vindelicorum an. 1555. obfirmatam & novissimè Osnabrugis innovatam & stabilitam suspensa & ad status Imperii Evangelicos jure superioritatis devoluta sit. *vid. Andr. Knich. d. sublim. territ. jur. c. 3. n. 232. Laurent. Obm. d. jur. Episc. concl. 20.* Hac ratione illi in suis Provinciis & territoriis instituerunt Consistoria seu judicia Ecclesiastica, quibus præclaros tum Ecclesiastici tum secularis Ordinis Viros præfecerunt, ut ab iis negotia Ecclesiastica separatim dijudicarentur, causis profanis & secularibus in judiciis secularibus relictis. Quoniam autē hâc de re novissimè latè & præclarè disseruit Celeberrimus JCrus Dn. Bened. Carpzov. *in sua Jurispr. Consistor. lib. 3. tit. 1. def. 1. 2. 3. & seqq.* ne actum agere videar, huic dissertationi finem impono. DEO ter Optimo Maximo, qui me per varios casus variè jactatum paternè manuduxit, sit honos laus & gloria in omnia secula.

COROLLARIA.

1. *Politica Philosophia non jurisprudentia pars est. Qui variarum Rerump. status, negotia & jura, non bene cognita habet, Politici nomen non meretur. Politicus non absq; dedecore statum Reip. in qua vivit, ignorare potest.*
2. *Rex potest Majestatem in suo regno habere, etiamsi alterius tributarius factus sit; imo licet id teneat jure feudi.*
3. *Ut Majestas seu summa Potestas politica, quoad remp. tuendam, maximè sita est in gerendo bello, ita quoad eam regendam illa potissimum consistit in juris condendi & Jurisdicendi libera facultate.*
4. *Ad regimen Reip. jam constitutæ nihil est magis necessarium quam jurisprudentia.*
5. *Qui sentiunt Jurisprudentiam non ex libris, aut à Do-*
ctori-

ax Th 4188

Et oribus singulari operâ petendam, sed ad eam sufficere
nativam quandam solertiam, sanè juris ejusq; objecti
quantus ambitus sit, ignorant.

- 6. Jus Naturæ jubet & prohibet ea quæ per se moraliter bo-
na malavè sunt. Jus Gentium voluntate humana ad
utilitatem & conservationem totius humanæ societatis
est constitutum; Jus autem civile ad utilitatem singula-
ris alicujus Reip.
- 7. Prescriptio non est juris civilis, sed Gentium, Juri au-
tem Naturæ prorsus incognita est.

E Unomie doctam scandis, LÜDERE, Cathedram,
miraq; argutas discutis arte strophas.
Quod res quæq; forum spectet, qui litibus aptus
judex, insigni dexteritate doces.
Hinc tua sedulitas, labor improbus, omnia vincens,
qui fuerit, notum doctior orbis habet.
Nunc Themis alma parat meritis condigna brabeja,
quæ tibi, quæ Patriæ commoda mille ferent.
testandæ benev. ergò fac.
Johannes Musæus SS. Theol. D. & P. P.

Clare LÜDERE, Fori dum jura per ampla tueris,
Præmia Docturæ summâ cum laude reponas.
Propositis faveat DEUS, & tua cœpta secundet!
Ita ex animo gratulor
Christoph Philip Richter D. Com. P. C.
Prof. P. & Fac. Jur. Senior.

Emendanda: In Dedicat. lege Hildesienfis. in th. 1. lin. 14. l. bellu-
arum. in th 11. transiciones dict. sunt; th. 22 l. 25 juri Can th 47. lin 5.
Quod itaq; sortitur. th. 48 l 5. deleatur (est) th 55 l pen consenta-
neæ sint. th. 59. in pr. deleatur: Ejusmodi. th 62. l. 9. deleatur (in) th.
64. l. 19. Fridericus III. l. 43. Statûs th. 70. l 29. casu quo. th 79 l. 47.
sacerdotibus. th 80 l. 7. vostre. th 81. l. 14. Clericis. l. 17. pro Clericis
lege Episcopis. Cætera benev. Lector corriget.

V077



B
PO



uctum uctum uctum uctum uctum uctum uctum
 uctum uctum uctum uctum uctum uctum uctum
 uctum uctum uctum uctum uctum uctum uctum

I S

xime Strenuis

IMO à BULOW.
 vico-Luneburgensis GE-
 siliario intimo, ejusq; Came-
 charffestorff etc.

O à BUCHWALD
 tario in Bierßbeecke / Ste

NON

O

Consultissimo

NGO STORRE
 ildefiensi primario.

*torib. suis summa obser-
 gnato & affini suo eta-
 ando.*

suam dissertationem

fferit & dedicat

Daniel Lüders.

